

John Carter Brown.

BOUND BY F. BEDFORD

BELLVM CHRISTI-
ANORVM PRINCIPVM, PRAECIPVE GALLO RVM, CONTRA SARACENOS, ANNO SALVTIS M.LXXXVIII. pro terra ſancta geſtum: autore ROBERTO MOMACHO.

CAROLVS Verardus de expugnatione regni Granatæ: quæ contigit ab hinc quadrageſimo ſecundo anno, per Catholicū regem Ferdinandum Hiſpaniarum. 85

Criſtophorus Colom de prima inſularum, in mari Indico ſitarum, luſtratione, quæ ſub rege Ferdinando Hiſpaniarum facta eſt. 116

De legatione regis Aethiopiæ ad Clementem pontificem VII. ac Regē Portugalliæ: item de regno, hominibus, atq; moribus eiuſdem populi, qui Troglodítæ hodie eſſe putantur. 122

Ioan. Baptiſta Egnatius de origine Turcarum. 143

Pomponius Lætus de exortu Maomethis. 146

Lector humaniſſime habes hic opus quarundam hiſtoriarū, quas iam primū typis noſtris ex antiquo & ſcripto exemplari in commodum tuum euulgauimus.

BASILEAE EXCVDEBAT HENRICVS PETRVS MENSE AVGVSTO.

HENRICVS PETRVS LECTORI S.

QVOS uides hic optime lector autores, non quidem tibi cõmendabit
ad miraculum uſq; elegãtia ſermonis, Ciceronianúſue nitor, ſed in
dubitata fides: quæ à prudentioribus & æquis rerum æſtimatoribus
potiſſimum atq; adeò ſola in huius claſſis autoribus requiritur. Por-
rò mirari ſatis nequeo quod ille Robertus omnino hactenus impreſſus nõ fu-
it, quem oportuit multis millibus exemplaribus euulgari: cum res tantas ſcri-
pſerit: Neq; enim Chriſtiani cum Turcis geſſerũt ullum bellum unquam aut
grauius, rariſſimis fortunæ caſibus magis uarium. Nam ſuſceptũ in principio,
ſtatim factum eſt ἄσπονδος πόλεμος: Cuius ingentiũ incredibiliumq; geſtorum &
factorum cognitionem utiliſſimam arbitror, & ut uideamus quale fuerit ante
annos quingentos eccleſiæ Romanæ ingenium, & ut diſcamus quibus artibus
& rationibus maiores noſtri hoſtem illum tractarint, & uicerint: animorũ nimi
rum conſenſu, uitæ innocẽtia, orationibus, alijsq; armis militantis eccleſiæ pro
prijs: Quo genere armorum utentibus fauet non dico fortuna, ſed dominus Ie
ſus. Vt perſpicio in his, quæ legentis magis animũ in rebus gerendis inſtruent
prudentioremq; reddent, quàm uerborum fuco linguam ornent. Vale. Idibus
Auguſti, anno XXXIII.

INDEX
EORVM OMNIVM QVAE LIBRO INSVNT.

A

Admiraldi regis Babyloniæ duodecim occiſi ſunt ante Antiochiam 35.
Admiraldi qui 35.
Antiochiæ Admiraldus eſt de genere Turcarum 39.
Admiraldus tradit Chriſtianis caſtellũ folio 60.
Admirauiſus Babyloniæ rex omnẽ orientem commouit cõtra Chriſtianos fol. 78.
Albaria ciuitas funditus euerſa 63.
Albaria capitur 65.
Alep oppidum 28.
Andronopolis ciuitas 12.
Animi inuicti exemplum 44.
Antiochia ubi ſita 25.
Antiochia ciuitas conſtituta à rege Antiocho 26.
Antiochiæ obſidio 26.
Antiochia urbs inexpugnabilis 27.
Antiochia init fœdus cũ Chriſtianis 38.
Antiochia quomodo prodita ſit 41.
Antiochiæ belli finis quando 61.
Antiochiæ urbis deſcriptio 64.
Arabum decem millia in auxilium uenerunt Solimanno 22.
Arabes cum Solimanno fugam arripiunt 22.
Arabum exercitus 28. & 29.
Archas quale caſtrum 70.
Areht caſtellum 27.
Areht congregauerunt ſe Turcæ 32.
Arietum in expugnãdis muris uſus 65.
Armænij uictum ad caſtra ferebãt Chriſtianis 33.
Aſcalona ciuitas ubi ſita 78.
Athenæ ciuitas 24.

B

Balduini & Tancradi cõtentio 24.
Bardarus fluuius 12.
Belli huius myſterium 1.
Boamundus cum omni ſuo exercitu uiam arripuit uerſus ſanctũ ſepulchrũ folio 11.
Boamundus Apulienſis erat in obſidione Malphi 10.
Boamũdus Apuliẽſis nauigauit in Bulgariam 12.
Boamundi conſolatio ad milites 14.
Boamundo inexpectatus hoſtis oc-

 currit

currit 18.
Boamundus & comes Flandrenſis terram Saracenorum intrauerunt 28.
Boamundi conſolatio ad milites 29.
Boamundus perduxit inimicos ad interitum 32.
Boamũdo à Pyrrho traditur Antiochia folio 44.
Boamundus grauiter ſagittatus eſt in femore 44.
Boamundus incendit domos ut militẽ exire in aciem cogeretur 54.
Boamundi & Raimundi diſcordia 64. & 67.
Boamundus diuidit ſe ab exercitu 71.
Brachium ſancti Georgij 6. & 8.

C

CAeſarea ciuitas 24.
Cæſarea ciuitas 73.
Camelæ rex ciuitatis offert Chriſtianis munera 70.
Caphalia ciuitas ubi ſita 69.
Cappadociæ ſitus 24.
Caſſianus regis Antiochiæ filius occiſus eſt ante Antiochiam 35.
Caſtoria ciuitas 12.
Chriſtiani ſiti laborant 6.
Chriſtiani principes fœdus ineunt cũ Alexio imperatore Conſtantinopolitano 14. & 15.
Chriſtiani ſequi feſtinauerunt Turcarum ueſtigia 21.
Chriſtiani omnia deo referũt accepta 21.
Chriſtiani caſtellum conſtruxerunt ante urbem Antiochiam 27.
Chriſtiani moliebantur abire propter famis inopiam 29.
Chriſtiani fame perierunt 30.
Chriſtiani tranſierunt fluuium Antiochiæ 38.
Chriſtiani caſtellum ædificant ex quodam ueſtuto caſtello 38.
Chriſtianorum principum reſponſa erga legatos regis Babyloniæ 37.
Chriſtianorum militum crudelitas 43.
Chriſtianorum legatorũ oratio ad Corbanan 54.
Chriſti lancea inuenta 54.
Chriſtiani quibus modis ſe ad pugnam præparant 55.
Chriſtianorũ reſpõſio erga Corbanan folio 55.
Chriſtianis uenit in auxilium exercitus ſanctorum 58.
Chriſtianorum prælium Antiochiæ cũ Turcis 58.
Chriſtianorum præda 60.
Chriſtianorum principum diuiſio 62.
Chriſtiani ignium frequentia fefellerũt hoſtem 70.
Chriſtiani caſtrum conſtruerunt ante ciuitatis portum Antiochiæ 33.
Chriſtianorum militum in obſidione Hieruſalem ordo 73.
Chriſtianis ſitis atq; famis urgebat 74.
Cometha apparuit in expugnatiõe Antiochiæ 43.
Conſtantinopolitanus imperator exultauit de uictoria Turcarum 8.
Cõſtantinopolitanus imperator iubet ſuis, ut ducem Gothefridum inuadãt & Boamundum 11. & 13.
Conſtantinopolitani imperatoris ſatellites præſumunt inuadere Gothefridum 12.
Conſtantini imperatoris ſomniũ 15.
Conſtantinopolis deſcriptio 15.
Conſtantinopolis caput Orientis 15.
Corbanan princeps militiæ regis Perſarum 45.
Corbanæ epiſtola ad Soldanum Babyloniæ 46.
Corbanæ matris oratio filium dehortãs à ſuſcepto bello 47.
Corbanæ uerba de Francis 55.
Corbana quomodo apoſtatam aquitanicum occiderit 56.
Coxor ciuitas opulentiſſima 24. & 25.

D

DAmaſcus oppidum 28.
Dapiferus occiditur 29.
Derugia uallis 25.
Deus uult eſſe terrori 31.
Duces Romã peruenerunt cum omni exercitu 9.

E

EXercitus diuiſio 18.
Exerogorgo caſtrum 6.

Fames

F

FAmes crudelior omni hoſte 49.
Francis traditæ ſunt duæ ciuitates fol. 24.
Franci intrauerunt terram Armæniorũ folio 24.
Frumenti aſinarum onus ſex librarum pretio 30.

G

GEntilium diuiſio pugnantes contra Chriſtianos 29
Gothefridus dux Teutonicorum 5.
Gothefridus militiæ decus 34.
Gothefridus rex eligitur in regem Hieroſolimitanum 77.
Græcorum regnũ à Perſis deuaſtatũ 3.
Guillehelmus Carpentarius in fugam uerſus eſt 30. & 31.
Guillehelmus qui fuerit 31.

H

HEraclea ciuitas 23.
Hieruſalem eſt in medio terræ 3.
Hieruſalem alter paradiſus 3.
Hugo magnus in auxilium uenit Boamundo 58.
Hugo magnus in legatione ad imperatorem Conſtantinopolitanum interemptus eſt 61.
Hieruſalem capitur hora qua Chriſtus crucifixus eſt 75.
Hieroſolomitanæ ciues quã crudeliter necati ſint. 76.
Hieroſolymam quomodo chriſtiani uictores reuerſi ſunt 83.
Hieruſalem quis ædificauerit 83.
Hugo Magnus frater Philippi regis Francorum 9.
Hugo Magnus Conſtantinopolim ducitur captus 11.
Hymnos canunt poſt uictoriam 21.

I

ICia ciuitas 71.

L

LAmentatio Vuidonis 50.
Legatorum regis Babyloniæ oratio 36. & 37.
Licaonia prouincia 23.

M

MAhumaria 38.
Manuſtra ciuitas 24.
Maracleæ ciuitatis princeps inijt pacem cum Chriſtianis 71.
Maraim ciuitas 25.
Marræ obſidio 65.
Marræ ciuitatis captio 66.
Mildinium caſtellum regium eſt 31.
Militum impietas & importunitas ſine duce 6.
Militum captorum excuſatio 13.
Militem quid liberet à morte 63.
Mœdorum exercitus 28. & 29.
Moſes princeps inter hiſtoriographos folio 61.
Mulier ſagittando occiditur 27.
Mulieris erga ſuũ maritum amor 39.

N

NAtiones quot in conflictu cõtra chriſtianos fuerint 26.
Neapolis ciuitas mittit legationem ad regem Gothefridum 77.
Nicæa ciuitas 6.
Nicæa ciuitas 16.
Nicæam ciuitatem obſidione uallauerunt 16.
Nicæa quomodo expugnata ſit 17.
Nicæa traditur Imperatori Conſtantinopolitano 18.
Nicæa urbs qualis 18.
Nichomedia 6. &10.
Normannus comes relicto Boamundo adhæret Raimundo 68.
Nux uno denario uendebatur 30.

O

OVum duodecim denarijs uendebatur 30.

P

PAlagonia caſtrum hæreticorũ 12.
Perſarum exercitus 28.& 29.
Petrus eremita collegit ſibi magnã multitudinem peditum equitumq́ 6.
Petrus eremita uenit per Vngariam ad Conſtantinopolim 5. & 7.
Petrus eremita eſt in caſtello Ciuitto 7.
Petrus ab Alpibus 24.
Petrus eremita in fugan uerſus eſt 30. & 31.

Podienſis epiſcopus electus eſt in du-
cem 5.
Podienſis epiſcopus inuadit Turcas 17.
Podiēſis epiſcopi adhortatio ad Chri-
ſtianos iam manus cum hoſte cōmiſ
ſuros 57.
Podienſis epiſcopus moritur 63.
Prælium ante Antiochiam 54.
Prouincia quot gubernatores habet 35.
Publicanorum caſtrum 25.
Pugna ingens 32.
Pyrrhi fides 43.
Pyrrhus Antiochiæ Admiraldus 40.

R

Rainardus in ducem eligitur 6.
Rainardi furtiuū fœdus cum Tur
cis 7.
Raimūdus ſancti Egidij Comes omnia
ſua uendidit & uiam ſancti ſepulchri
arripuit 9.
Raimundo nuntiatum fuit Turcæ me-
tu de Antiochia fugiſſe 25.
Raimundo cōmendatur caſtellū 38.
Raimundus Piletus 62.
Raimundi & Boamundi diſcordia 64
& 67.
Ramola ciuitas 78.
Robertus comes Normannus 9. & 10.
Robertus comes Flandrenſis 9. & 10.
Robertus Vuiſchardus frater Boamūdi
folio 11.
Roma caput eſt Occidentis 15.
Romania 6.
Romolam ciuitatem Saraceni uacuam
propter metum relinquunt 73.
Rugia capitur 65.
Ruſa ciuitas 25.

S

Sacerdotum in bello officium 9.
Sacerdoti uiſio apparuit in ſomnis
folio. 25.
Saracenis iniunctū eſt ut occiſos in Hie
ruſalem ſepelirent 77.
Signum bellici clamoris 4. & 10.
Solimannus dux Turcarum 22.
Solimanni oratio ad Arabes 22.
Solimannus ſenior abſtulit imperatori
Romaniam 22.
Standarum quid 80.
Stephanus Carnotenſis comes 9. & 10.
Stephani Carnotenſis comitis fuga 50.
Surani uictum ad caſtra ferebant Chri-
ſtianis 33.
Suſa ciuitas 13.

T

Tancradus inſecutus eſt fugientes
folio 31.
Tancradus intrat caſtellum 38.
Tellus madefacta cruore morientiū 33.
Tetigus miles nugaciſſimus 31.
Tharſos oppidum 23. & 24.
Tortoſa ciuitas uacua inuenitur 71.
Tripolis rex mittit dona chriſtianis 70.
Tripolis rex fœdus init cū Chriſtianis
folio 72.
Turcarum præliū cum Chriſtianis 7.
Turcæ fugam arripiunt 19.
Turcæ inuadunt tentoria Chriſtianorū
folio 19.
Turcarum trecenta ſexaginta millia oc
ciſi ſunt. 22.
Turcæ Chriſtianorū urbibus imponūt
folio 23.
Turcæ & Publicani ſunt occiſi à Chri-
ſtianis 25.
Turcæ ſuperati à Francis 35.
Turcæ multa pretioſa cum cadaueribus
terræ ſolent committere 36.
Turcarū infinita multitudo occiſa 60.
Turcarum ſanguine aqua efficitur rubi
cunda 71.

V

Vrbani pontificis oratio ad Gal-
los 2.
Vualterus ſignifer 7.
Vualo occiditur 39.

Y

Yconium ciuitas 13.

Indicis Finis

DE BELLO ET EVENTVVM RARITATE ET ADPARATVS MAGNIFICENTIA NOBILISSIMO, CVM SARACENIS PER CHRISTIANOS, PRAECIPVE GALLOS, PRINCIPES MIRABILITER geſto ante CCCCL. annos, Roberti Monachi hiſtoria.

PRAEFATIO.

INTER omnes hiſtoriographos noui ac̃ ueteris teſtamenti Moſes ſanctus obtinet principatũ, qui diuino ſpiritu prophetiæ, hebraicis literis, quarũ ipſe autor extitit, mundi deſcripſit exordiũ: & primæ ætatis ac ſecũdæ facta mirabiliora. Nec non & patriarcharũ geſta nobis adduxit in mediũ. Huius exemplũ ſecuti ſunt Ieſunaue, Samuel & Dauid, quorũ primus Ioſue librum, ſecundus & tertius regum hiſtoriam conſcripſerunt. Ex hoc ergo liquidò colligi poteſt, quod reuera deo ſit acceptabile, ut ad noticiam fidelium ſuorũ literis cõmendetur, cum in terra peragit, quod præfixis tẽporibus fieri diſpoſuit, aliquod opus mirabile. Nihil poſt creationem mundi mirabilius factum eſt, poſt ſalutiferæ crucis myſteriũ, quâm quod in his tẽporibus actum eſt in hoc itinere noſtrorũ Hieroſolymitarũ. Quod quanto ſtudioſius quiſq; aduerterit, tanto uberius inter mentis ſuæ dilatatos receſſus obſtupeſcet. *Argumenti huius magnitudo.* Hoc enim non fuit humanum opus, ſed diuinum. Et ideo literali cõpaginatione commendari debet noticiæ, tam præſentium, quâm futurorum, ut per hæc & ſpes in deũ chriſtiana magis ſolidetur, & laus eius in eorum mentibus efficacior incitetur. Nam quis regum aut principũ poſſit ſubigere tot ciuitates & caſtella, natura, arte, & humano ingenio præmunita, niſi Francorum beata gens, cuius eſt dominus deus eius, populus quẽ elegit in hæreditatem ſibi. Inferat ergo nobis dei ſapiẽtia, quod ad laudẽ ſui nominis proferamus. Et ſciãt qui hæc legerint, ſiue audierint quod nihil friuoli, nihil mendacij, nihil nugarũ, niſi quod uerũ eſt enarrabimus.

ROBERTI MONACHI DE CHRISTIANORVM PRINCIPVM BELLO CONTRA TVRCAS,

Liber primus.

ANNO Dominicæ incarnationis milleſimo nonageſimo quinto magnũ inter fines Galliæ cõcilium celebratum eſt, in Aluernia ſcilicet, in ciuitate quæ Clarus mons appellatur. cui papa Vrbanus ſecundus cum epiſcopis & cardinalibus præfuit. Fuit autem illud concilium ualde celeberrimum, conuentu Gallorum, ac Germanorũ, tam epiſcoporum quàm & principum. Ordinatis igitur in eo rebus eccleſiaſticis, exiuit dominus papa in quadam ſpatioſæ latitudinis platea: quia non poterat illos capere cuiuslibet ædificij clauſura. Qui hac ſuadela rethoricæ dulcedinis, generaliter ad omnes in hæc uerba prorupit, dicens. Gens Francorum, gens tranſmontana, gens, ſicut in pluribus ueſtris elucet operibus, à deo dilecta & electa, tam ſitu terrarũ, quàm fide catholica, quàm honore ſanctæ eccleſiæ ab uniuerſis nationibus ſegregata, ad uos ſermo noſter dirigitur, uobiſq; exhortatio noſtra protenditur, Scire uos uolumus, quæ lugubris cauſa ad ueſtros fines nos adduxerit, quæ neceſſitas ueſtra cunctorũq; fideliũ attraxerit. Ab hieroſolymorũ finibus & urbe Cõſtãtinopolitana relatio grauis emerſit, & ſæpiſſime iam ad aures noſtras peruenit: quod uidelicet gens regni Perſarum, gens maledicta, gẽs extranea, gens prorſus à deo aliena: generatio ſcilicet quæ non direxit cor ſuum, & non eſt creditus cum deo ſpiritus eius: terram illorũ chriſtianorũ inuaſerit, ferro, rapina, incẽdio depopulauerit, ipſoſq; captiuos partim in terram ſuam abduxerint, partimq; nece miſerabili proſtrauerit, eccleſiaſq; dei aut funditus euerterit, aut ſuorum ritui ſacrorum mancipauerit. Altaria ſuis fœditatibus ſubuertunt, chriſtianos circuncidunt, cruoremq; circunciſionis, aut ſuper altaria fundunt, aut in uaſis baptiſterij immergũt. Et quos eis placet turpi occubitu mulctare, umbilicum eis perforant, caput uitaliorum abſtrahunt, ad ſtipitem ligãt, & ſic flagellando circunducunt, quo adusq; extractis uiſceribus, ſolo proſtrati corruunt. Quoſdã ſtipiti ligatos ſagittãdo occidũt. Quoſdam extento collo & nudato gladio appetunt, & utrum uno ictu truncare poſſint pertentant. Quid dicam de nefanda mulierum conſtupratione?

De qua

De qua loqui deterius eſt quàm ſilere. Regnum Græcorum iam ab eis ita deuaſtatum eſt,& ſuis uſibus emancipatum, quod tranſmeare nõ poteſt itinere duorum menſium. Quibus igitur ad hoc ulciſcendum, ad hoc eripiendum, labor incumbit, niſi uobis, quibus præ cæteris gentibus contulit dominus inſigne decus armorũ, magnitudinẽ animorum, agilitatẽ corporum, uirtutem humiliandi hoſtes? Moueãt uos & incitent animos ueſtros ad uirilitatem geſta prædeceſſorum, probitas & magnitudo Caroli magni regis,& Ludouici filij eius, aliorumq́ regum ueſtrorum: qui regna Turcorum deſtruxerunt,& in eis fines ſanctæ eccleſiæ dilatauerũt. Præſertim moueat uos ſanctum domini noſtri ſaluatoris ſepulchrum, quod ab immundis gentibus poſſidetur,& loca ſancta quæ nunc inhoneſte tractant,& irreuerenter eorum immundicijs ſordidantur. O fortiſſimi milites,& inuictorum propago parentum, nolite degenerari, ſed uirtutes maiorum ueſtrorum reminiſcimini. Quod ſi uos liberorum & parentum & coniugum detinet affectus, en recolite quid in euangelio dicat dominus. Qui amat patrem aut matrem ſuper me, non eſt me dignus. Omnis qui reliquerit domum, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitam æternam poſſidebit. Non uos protrahat ulla poſſeſſio, nulla rei familiaris ſollicitudo, quoniam terra hæc quam inhabitatis clauſura maris undiq́ & iugis montium circundata, numeroſitate ueſtra coanguſtatur, nec copia diuitiarum exuberat: & uix ſola alimenta ſuis cultoribus adminiſtrat. Inde eſt quod uos inuicem mordetis & contenditis, bella mouetis,& plerunq́ mutuis uulneribus occiditis. Ceſſent igitur inter uos odia, conticeſcant iurgia, bella quieſcant,& totius controuerſiæ diſſenſiones ſopiant. Viam ſancti ſepulchri incipite, terram illã nefariæ genti auferte, eamq́ uobis ſubijcite. Terra illa filijs Iſraël à deo in poteſtatem data fuit, ſicut ſcriptura dicit, quæ lacte & melle fluit. Hieruſalẽ umbilicus eſt terrarũ, terra fructifera, quaſi alter paradiſus delitiarũ. Hanc redemptor humani generis ſuo illuſtrauit aduentu, decorauit conuerſatione, ſacrauit paſſione, morte redemit, ſepultura inſigniuit. Hæc igitur ciuitas regalis in orbis medio poſita, nunc à ſuis hoſtibus captiua tenetur, & ab ignorantibus deum, ritui gẽtium ancillatur. Quærit igitur & optat liberari,& ut ei ſubueniatis nõ ceſſat imprecari. A uobis quidem præcipue exigit ſubſidium, quoniam à deo uobis collocatum eſt præcũctis nationibus, ut iam diximus, inſigne decus armorũ. Arripite igit̃ uiã hanc in remiſſionẽ peccatorum noſtrorum ſecuri de inmarceſcibili gloria regni cælorũ. Hæc & id genus plurima ubi papa Vrbanus urbano ſermone perorauit, ita omnium qui aderant affectus in unum cõciliauit, ut omnes acclamarẽt,

Deus uult, deus uult. Quod ut uenerandus pontifex Romanus audiuit, erectis luminibus in cælum, deo gratias egit, & manu ſilentium indicens, ait: Fratres chariſſimi, hodie in uobis eſt oſtenſum, quod dominus dicit in euangelio: Vbi duo uel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi in medio eorum ſum. Niſi enim dominus deus in mentibus ueſtris fuiſſet, una omnium ueſtrum uox non fuiſſet. Licet enim uox ueſtra numeroſa prodierit, tamē origo uocis una fuit. Propterea dico uobis, quod deus hanc à uobis elicuit, qui ueſtris eam pectoribus inſeruit. Sit ergo uobis uox iſta in rebus bellicis militare ſignum: quia uerbum hoc à deo eſt prolatum. Cum in hoſtem fiet bellicoſi impetus cōgreſſio, erit uniuerſis hæc ex parte dei una uociferatio: Deus uult, deus uult. Et nō præcipimus aut ſuademus, ut ſenes aut imbecilles, & uſui armorum minime idonei, hoc iter arripiant, nec mulieres ſine coniugibus ſuis aut fratribus, aut legitimis teſtimoniis ullatenus proficiſcantur. Tales enim magis ſunt impedimento quàm adiumento, plus oneri quàm utilitati. Diuites inopibus ſubueniāt, & expeditos ad bellum de ſuis facultatibus ſecum ducant. Presbyteris ſiue clericis cuiuſcūq; ordinis abſq; epiſcoporum ſuorum licentia non licet ire, quoniā inutilis eis fieret hæc uia, ſi irent ſine illorum licentia. Quia nec laicis expedit peregrinari, niſi cum ſui benedictione ſacerdotis. Quicunq; ergo huius ſanctæ peregrinationis animum habuerit, & deo ſponſionem inde fecerit eiq; ſe litaturum hoſtiam uiuam, ſanctam, deo placentem, deuouerit, ſignum dominicæ crucis in fronte ſua ſiue in pectore præferat: qui uero inde uoti compos regredi uoluerit, inter ſcapulas retro ponat. Tales quippe bifaria operatione complebūt illud domini præceptum, quod ipſe iubet per euangeliū: Qui nō baiulat crucem ſuam & uenit poſt me, non eſt me dignus. His ita completis, unus ex cardinalibus, nomine Gregorius, pro omnibus terræ proſtratis dixit confeſſionem ſuam, & ſic omnes pectora ſua tundentes, impetrauerunt de his quæ male commiſerant abſolutionem, & facta abſolutione benedictionem, & benedictione conſecuta ad propria remeandi licentiam. Et ut cunctis clareſceret fidelibus, quod hæc uia à deo non ab homine ſit conſtituta (ſicut à multis poſtea cōperimus) ipſo die quo hæc facta & dicta ſunt, fama præco & nuntius tantæ conſtitutionis, totum commouit orbem: Ita ut etiā in maritimis occeani inſulis diuulgatum eſſet, quod Hieroſolymitanū iter in concilio ſic ſtabilitum fuiſſet. Gloria prouenit inde Chriſtianis & exultatio: gētilibus Perſis, Arabiæ cultoribus, mœror & trepidatio. His additur animi magnitudo, illis incuttitur pauor & mētis hebetudo: adeò cæleſtis tuba percrepuit, quod ubiq; gens omnis infeſta Chriſtiano nomini intremuit. Elucet igitur quod non fuit humanæ uocis officium, ſed ſpi-

ritus

ritus domini, qui replet orbem terrarum. Ad ſua itaq; reuerſus eſt unuſquiſq; laicorum. Et Vrbanus papa in craſtinum reſidere fecit conuentum epiſcoporum: Quibus reſidentibus accepit conſilium quem præponeret tantæ multitudini peregrinari cupientium, quia nondum erat inter eos aliquis nominatorum principum. Vniuerſi uero elegerunt Podienſem epiſcopum, aſſerentes eum rebus humanis ac diuinis ualde eſſe idoneum, & utraq; ſcientia peritiſſimum, ſuisq; in actionibus feliciſſimū. Ille itaq; licet inuitus ſuſcepit, quaſi alter Moſes, ducatum ac regimen dominici populi, cum benedictione domini papæ ac totius concilij. O quàm diuerſæ ætatis ac potentiæ ſeu domeſticæ facultatis homines in illo concilio cruces ſuſceperunt, & uiam ſancti ſepulchri ſpoponderunt. Hinc diuulgatum eſt ubiq; terrarum illud concilium uenerabile, & ad aures regum ac principum peruenit concilij conſtitutum honorabile. Placuit omnibus, & plusquam trecenta millia mente iter concipiunt, & ad implere ſatagunt, pro ut unicuiq; poſſe contulit dominus. Iamq; arma arripere cœpit Francigenæ gentis ſtrenua uirtus, & deſyderio iam cum Turcis pugnabat eorum proba ferocitas. Erat in illis diebus quidam qui eremita extiterat, nomine Petrus, qui apud illos qui terrena ſapiunt magni æſtimabatur, & ſuper ipſos præſules & abbates apice religionis efferebatur: eo quod nec pane nec carne ueſcebatur, ſed tamen uino alijsq; cibis omnibus fouebatur, & famam abſtinētiæ in delicijs quærebat. Hic ea tempeſtate collegit ſibi non modicam equitum, peditumq; multitudinē, & iter ſuum direxit per Vngariam. Aſſociatur autem cuidam duci teutonicorum, nomine Gothefrido, qui erat Euſtachij Bolonienſis comitis filius, ſed officio dignitatis dux erat Teutonicus. Hic uultu elegās, ſtatura procerus, dulcis eloquio, moribus egregius, & in tantum lenis, ut magis in ſe monachum quàm militem figuraret. Hic cum hoſtem ſentiebat adeſſe, & imminere prælium, magis audaci mente concipiebat animum, & quaſi leo frendens ad nullius pauebit occurſum. Et quæ lorica uel clipeus ſuſtinere poterat impetum mucronis illius? Hic cum fratribus ſuis Euſtachio & Balduino, & magna manu militum, peditumq; per Vngariam iter arripuit. Per uiam ſcilicet quàm Carolus magnus inuictus rex Francorū olim ſuo exercitui fieri uſque Conſtantinopolim præcepit. Primus igitur Petrus eremita cum ſuis & magna gente Alemanorum Conſtantinopolim uenit, & copioſam Longobardorum gentem, multosq; alios ex diuerſis locorum ſpacijs aggregatos inuenit. Quibus imperator licentiā introeundi ciuitatē nunquam præbuit, quia uirtutem Chriſtianæ militiæ & maxime Francorū ſuſpectam ſemper habuit. Idem

Quot ad expeditionē ſe ultro obtulerint

Naimarū

tamen emere eis concedebat omnia quæ in ciuitate erant. Prohibue‑ratq; illis ne tranſirent illud uicini æquoris ſpatium, quod uocatur ſancti Georgij Brachium, quo aduſq; ueniret formidabilis exercitus Francorũ. Turcorum enim infinitus numerus erat, qui aduentum illorum beſtiali mente ſitiebant: In quorum manus ſi ipſi abſentibus Francorum principibus deueniſſent, ſicut poſtea rei probauit euentus, omnes æqualiter morti ſubiacerent. Sed omnis congregatio hominum quæ bono duce non gubernatur, ſi ei languidum caput dominatur, in deterius labitur & quotidie langueſcit, & à ſalute elongatur. Propterea & hi, quia prudentem principem qui eorum dominaretur non habebant, reprehenſibilia opera faciebãt. Eccleſias enim & urbis palatia deſtruebant, & quæ in eis erant auferẽtes, plumbũ quo tegebant abſtrahebãt, & Grecis uendebãt. Vnde imperator Alexius nomine, ueheměter iratus fuit, & equoreũ ſancti Georgij brachium trãſmeare præcepit. Qui ultra progreſſi ducem ſibi elegerunt, & quendam Rainardum præpoſuerunt. Qui licet principẽ haberent, eadem tamen rapinæ opera agere non ceſſabant. Nam domos quos inueniebant igni comburebãt, & eccleſias bonis ſuis & facultatibus denudabant. Sic Nichomediam uſq; uenerunt, & inde Romaniæ terrã intrauerunt. Tribus igitur diebus ambulando cõſumptis, ultra Nicæam urbem perrexerunt, & quoddam caſtrum, cui nomen erat Exeregorgo, à gente uacuum inuenerunt. In quod intrantes repererunt magnam ubertatem frumenti, carnis & uini, omniumq; bonorum quæ ſunt humanæ uitæ ſuſtentaculum. Turci uero metu Francorum perterriti, longe ab illa terra ſeceſſerant, ſed tamẽ exploratores ſuos dimiſerant, qui illis aduentum noſtrorum & quomodo haberent, nuntiarent. Qui ut per internuntios compererunt, quod uenerant rapere, non poſſidere, deſtruere nõ retinere, ꝓtinus cõtra illos accurrerũt, & caſtellũ in quo erant, obſidione circundederunt. Erat quippe ingens numerus illorum, & copioſa multitudo. Ante portam caſtelli erat puteus, & iuxta ex altera parte fons uiuus, iuxta quem Rainardus princeps Chriſtianorum exierat, & inſidijs poſitis, eorum præſtolabatur aduentum. Turci uero nil hæſitantes irruerũt in eum, & multos qui cum eo erant occiderunt, alij autem in caſtrum fugerunt. Illi autem aquam eis omnino abſtulerunt, & in magno cruciatu per aquæ penuriam Chriſtianos detinuerunt. Erat autem menſis ſeptember. Obſeſſi autem in tantam ſitis anguſtiam deuenerunt, quod uenis equorum inciſis boumq; & aſinorum aliarumq; pecudum ſanguinem eliciebant & bibebant. Alij terram humectatiorem fodiebant, & ſic ori apponebant ardoremq; ſitis temperabant. Quidam urinam ſuam in uaſe, aut in manibus ſuis ſuſcipiebant, & quod dictu mirabile eſt, abſorbebant. Quid plura? Nullum erat uitæ ſolatium, ubi ſola mors pereuntibus

Impietas & importunitas militum ſine duce.

tibus

tibus erat ſubſidium. Tandem princeps illorum Rainardus cum Turcis furtiuum iniit fœdus, malens temporalem uitam retinere, quàm pro Chriſto mortem, in tali martyrio ſubire. Diſpoſitis itaq; agminibus ſuis, ſimulauit cum aduerſarijs inire congreſſionem, ſed mox ut exijt, fecit ab illis cum multis alijs digreſſionem. Heu heu meticuloſus miles, non ab auſtro, ſed ab aquilone progreſſus, quam eneruiter effeminate pro cœleſti rege & regno dimicauit: qui nec dũ uel leui ſtipula tactus, martyriũ ſubire perhorruit: & fidei chriſtianæ profeſſionẽ ſanus eques & armatus abdicauit. Iure igitur apud deum euaneſcẽtis gloriæ iacturam promeruit, & in ſortem illius qui ſedem ſuam elegit ad aquilonem deuenit. Qui uero remanſerunt, nec Chriſtianæ fidei titulum mutare uoluerunt, mortis extremum ſubierunt. Igitur ex tota illa multitudine occiderunt Turci quos uoluerunt, & quos libuit uti placuit captiuauerunt. Quoſdam ad ſignum poſitos ſagittis conficiebant, & omni ludibrio prout eis placuit ſeruos dei contumelijs afficiebant. Et illi maluerunt ſic occumbere glorioſe, quàm negantes fidem dei, cum eis infeliciter uiuere. Deus uero, ut credimus, recepit eos in ſepta ſemper uirentis Paradiſi ſui, quoniã noluerunt à fide ſua peregrinari. Iam, quippe diabolica, legio uictrix exultat, & cõtra Petrum eremitam, qui erat in quodam caſtello nomine Ciuito, dimicat. Erat autem illud caſtrum ſupra Nicæam ciuitatẽ conſtitutum. Contra quod Turci dum curſum dirigerent, obuiauerunt Vualtero, qui erat primiceruis & ſignifer agminis eremitæ. Sed licet miles egregius claruiſſet tot militiæ titulis, his tamen omnino reſiſtere non ualuit, ſed tamen precioſam mortem ſuam, multo Turcorum ſanguine commendauit. Irruit enim in illos uelut urſus eſuriens in animalia; & quos in occurſum inuenit, & proſtrauit & uita priuauit. Similiter & qui cum eo erant armati, adhuc uiui iam necem quam erant paſſuri fortiter uindicabant. Et quam diu eis arma ualuerũt, hoſtes de uictoria ceu certi lætari non potuerunt. Tandem tamen multitudo audaciam, non audacia multitudinem ſuperauit: ſed ita ut animoſitas numeroſitatem ſextuplo minuerit. Fractis tandem armis & non animis, laudabili morte, ſicut in bello, ſicut pro deo, uitam terminauerunt: eoſq; in ſortem cælitum angelici ſpiritus tranſtulerunt. Tunc primum Turci reuolutis cadaueribus ſuorum, cognouerunt quod cum quibus pugnauerant fuerunt Franci. His ita patratis pars Turcorum cucurrit ad caſtra chriſtianorũ, & ibi unum presbyterum ſacra facien em inuenerunt, quem ante altare detruncauerunt. O felix felicis presbyteri martyrium cui præbuit ducatũ dominici corporis uiaticum. Similiter quotquot inuenerunt aut occiderunt aut abduxerunt. Petrus uero eremita abierat, & Conſtantinopolim remeauerat. In caſtello aũt quod ſupra memorauimus, cui nomẽ Ciuito,

remanſerat Chriſtianorum plurima multitudo: & qui de caſtris ſiue de prælio uiui euaſerant, retro ad illud caſtellum confluxerant. Quos turci inſequentes ſtrues lignorum, ut noſtros comburerent, circumpoſuerũt, ſed qui obſeſſi erant de tuitione uitæ ſolliciti ignem in ſtrues immiſerunt: & dei nutu flante uento, pleroſq; de hoſtibus combuſſerũt. Turci tandẽ illos ui comprehenderunt, & ſecundum ludibrium ſuum uarijs pœnarũ generibus affectos, alios occiderũt, alios in captiuitatem uendiderũt. Qui tamen aliquo caſu ſeu ingenio euaſerunt, ad Brachium ſancti Georgij reuerſi ſunt: & iubente nequiſſimo imperatore Cõſtantinopolim regreſſi ſunt. Imperator quidem cum ſuis Græcis de uictoria Turcorum exultauit, & omnia arma noſtrorum, ut eos inermes redderet, callide comparauit. His ita geſtis, huic narrationi terminum ponamus, & ſtilum retro conuertentes, quomodo illuc conuenerit nobilis gens Francorum, & cum quibus principibus, diſſeramus.

Strategema.

ROBERTI

ROBERTI MONACHI DE CHRISTIANORVM PRINCIPVM BELLO CONTRA TVRCAS,

Liber ſecundus.

INTEREA dum hæc aguntur, de remotis occidentalium partibus, à parte aquilonis excitauit dominus comites duos, quibus unum nomen, una conſanguinitas, æqua poteſtas: id eſt, & armis & animis, & gloria conſulatus compares: Normannus ſcilicet & Flandrenſis comes. Cum quibus Hugo magnus, frater Philippi regis Francorum, qui ipſo tempore Franciam ſuo ſubiugabat imperio. Hic honeſtate morum, & elegantia corporis, & animi uirtute, regalem de qua ortus erat cõmendabat proſapiam. Cum quo & Stephanus Karnotenſis comes, qui à bonis initijs prauos deinceps obtinuit exitus. Præterea alij innumeri optimates & minoris famæ cõſules, cum his ſunt aſſociati: tam eiuſdem Franciæ, quàm maioris & minoris Britaniæ. A parte auſtrali mota ſunt caſtra Podienſis epiſcopi, & comitis ſancti Egidij, nomine Raimundi. Vir iſte cum prædiues eſſet, & temporalibus bonis locupletaretur omnia ſua uendidit, & uiam liberationis ſancti Sepulchri arripuit. Clare in præſentia igitur uidemus, quod olim dominus promiſit per os Eſaiæ prophetæ, Ait enim: Noli timere, quia ego tecũ ſum. Ab aquilone adducam ſemen tuum, & ab occidente congregabo te. Dicam aquiloni, da: & auſtro, noli prohibere: Affer filios meos de lõginquo, & filias meas ab extremis terræ. Nunc, ut uidemus, filij dei, & filiæ Hieroſolymam tendunt ab extremis terræ, auſter & aquilo inuitos ſuos nõ audent prohibere. Reuera nunc dominus aſcendit ſuper occaſum, quoniã requieſcit in animabus occidentalium. Nunc occidẽs illuſtrare parat orientem, & nouis ſyderibus ſuis excitatis qua præmebatur depellere cæcitatẽ. Et cum inter tanta agmina eniteſceret terribilis fulgor armorum, huc tamen reuerberaret, ſi intueri poſſet ſplẽdor animorum. Hi ad bellum unanimiter incedunt, non ut fugiant, ſed ut aut moriantur, aut uincant. Mori quippe nullum uitæ credunt diſpendium: uincere uero diuini ſubſidij eſt præconiũ. Hi ergo memorati principes quos ſupra memorauimus: ſatis continuo tempore de ſuis ſedibus exierunt, ſed natale ſolum tranſeuntes, diuerſo tempore & itinere ad tranſalpinas regiones peruenerunt. Ideoq; per Italiam iter direxerunt, & diuina præeunte cuſtodia, ſecundo appulſu Romam peruenerunt. Et ô glorioſa Chriſti militia, quam non potuerũt continere tam ſpatioſæ urbis ſpacia & domicila: & ob hoc mul

ti extra urbem ex principibus ſua fixere tentoria. Ibi aliquot diebus com morantes, loca ſancta peregrina conſuetudine perambulauerunt, & ſe ſanctorum apoſtolorum, aliorumq́ meritis ac precibus commendauerũt. Ac ſic apoſtolica benedictione percepta ab urbe diſceſſerunt, & per Apuliam ſuas acies direxerunt. Cum ſic incederent, rumor tanti exercitus ad aures cuiuſdam terræ illius principis peruenit, nomine Boamundi, qui tunc erat in obſidione Malphi ſuper littus Scaphardi pelagi conſtituti. Qui hoc audiens ſtudet inquirere, quibus principibus tantus exercitus regatur, quibus armis muniatur, quo ordine incedant: utrum rapere uenerint, aut ut ſibi neceſſaria comparent. Cui ab inquiſitoribus relatũ eſt de principibus, quod Hugo magnus Philippi regis Francorũ Germanus ſignifer & dux ſit tantæ militiæ. Robertus comes Normannus, Robertus comes Flandrenſis, Stephanus comes Karnotenſis, Raimundus comes ſancti Egidij, & epiſcopus Podienſis, duces erãt & domini. Exercitus autem ſic deuote & ſeriatim procedebat, ut prorſus nulli nocuerit. Arma equitum tam idonea erant, ut in tanto procinctu militiæ dei cõuenerint. Nec ullus carneus oculus loricarum, aut galearum, aut ſcutorum, aut lancearum, ſole radiante, ferre poterat intuitum. Pedites uero omni genere telorum ſic præmuniti fuerunt, ut ſi obuiã eis ueniret, omni Orienti terrorem incuterent. Et cum ſic telis & armis accingantur, tamẽ ut inermes peregrini neceſſaria ſibi mercantur. Quæ cum audiſſet uir circunſpectus & diuitijs opulentiſſimus, talia uerba protulit coram omnibus. Gratias agere deo omnes debemus, qui in ſua poteſtate habet omnium corda: & quò uult inclinat ea. Quis enim tot principes: tantum populum in unum collegiſſet, niſi eorum mentibus ipſe præſideret. Cumq́ requireret quod ſignum geſtarent peregrinationis, didicit, quod aut in fronte aut in ſpatulis dextris ſignum ferebãt ſanctæ crucis. Cum uero per campos diſcurrendo bellico uſui ſe exercerent, & iocando inuicem alter in alterũ haſtas uibrarent, omnes una uoce clamabãt dicentes: Deus uult, deus uult. Et hoc ſignum erat bellici clamoris ipſorum. Et cum hæc iterum audiret uir prudens & mẽte capax, magis ac magis in deo exultauit: quia omnia hæc non tantũ eſſe hominum intellexit. Qui ſtatim eadem deuotione ſuccenſus, duo prætioſa pallia iuſſit afferri, & ex eis corrigiatim inciſis præcepit cruces fieri. Tunc dixit omnibus tã peditibus, quã militibus: Si quis eſt domini, iungatur mihi. O milites mei eſtote dei, & uiam ſancti ſepulchri mecum incipite, & quæ mea ſunt, ut ueſtra aſſumite. Nonne & nos Francigenæ ſumus. Nonne parẽtes noſtri de Francia uenerunt, & terram hanc militaribus armis ſibi mancipauerunt. Proh dedecus. Ibunt conſanguinei & fratres noſtri ſine nobis ad martyrium, imò ad paradyſum. In omnibus futuris temporibus debet aſcribi tam nobis quàm liberis noſtris retro-

grada

grada animi inopia, ſi nobis abſentibus agit hæc diuina militia. Et cum his & iſtis ſimilibus animoſus miles finem daret, omnes clamauerunt qui ad/erāt dicētes: Nos tecū ibimus, & abſq; detractatione uiā ſancti ſepulchri ꝓmittimus. Tūc uir ſapiēs & aſtutus, cruces iuſſit afferri, quas præcepat fieri. Quibus allatis dixit: Si dictis ueſtris facta unire uultis, de crucibus iſtis unuſquiſq; accipiat unam: & acceptio crucis, ſponſio uiæ fiat. Tunc tot ad accipiendum confluxerunt, ut multis accipere affectantibus cru/ces defuerint. Audiētes igitur optimates Apuliæ & Calabriæ & Siciliæ: quod Boamundus crucem uiæ ſancti ſepulchri ſuſceperat, omēs ad eum confluunt, & tam meliores quā potentes, ſenes quàm iuuenes, ſerui quā domini, uiam ſancti ſepulchri promittūt. Dux uero ipſius Apuliæ, ut hæc uidit & audiuit uehemēter indoluit, quoniā ſolus cum paruulis ac mulieri bus in ducatu ſuo permanere timuit. Erat autem dux ille frater Boamun di, uterq; filij ſcilicet Roberti Vuiſchradi. Dum uero Boamundus uiæ ne ceſſaria parauit: Francigenæ ad marinos portus peruenerunt, alij ſcilicet ad Brunduſium, alij ad Barim, alij proximum mare intrauerunt. Hugo ſiquidem Magnus, & Vuilermus Marchiſi filius, in portu Barim mare intrauerunt, & Dirrachium uſq; nauigauerunt: Quos ut depræhēdit ad/eſſe dux loci illius, captus iniqua cogitatione, illos cōtinuo iuſſit appræhen di, & appræhenſos Cōſtantinopolim duci. Edixerat enim ſubdolus impe rator, ut omnes Hieroſolymitæ caperentur & ad ſe ducerētur. Volebat nanq; ita omnes ſibi fideles obedientes, ut ſuum eſſet quicquid per arma adquirerent. Sed depræhenſi cum ad urbem uenerunt, magnum ibi ſola/tium inuenerunt, quod ducem Gothefridum cum magno exercitu repererunt: Flere præ gaudio potuit, qui Hugonem Magnū & ducem Gothefridum inuicem amplexari & oſculari conſpexit. Gaudet Hugo Magnus ſe fuiſſe compræhenſum, & hac occaſione adduci ad ducem Go thefridum. Gaudet dux, quia amplexatur chariſſimum amicum & cogna tum ſuum, & totius nobilitatis decus. Gaudet alter in altero innouatum fœdus amicitiæ, & antiquæ familiaritatis, & quod in utroq; inerat inſi/gne decus probitatis. In his duobus uiris primo denudate ſunt fraudes im peratoris; ſicut mox ſequentia declarabūt. Dux Gothefridus prior omni/um Francorum principum Conſtantinopolim uenit, quia per Vngar ā recto greſſu profectus eſt. Venit itaq; duobus diebus ante natale domi/ni, & hoſpitari uoluit extra urbem, ſed ſubdolus imperator eum inter ſub/urbana recepit. Sperauit interim dux ibi ſecurū remanere ſe poſſe donec uenirēt agmina gentis Francigenæ. Et cum per aliquot dies mittere cœ/pit clientes ſuos ad comparanda neceſſaria, doloſus imperator præcepit Turcopolis ſuis & pincennatibus, ut in inſidijs poſiti eos inuaderēt & oc ciderent. Sed Balduinus frater ducis, cognita eorū nequitia, occultauit ſe,

Promptitudo animorū contra eccleſiæ hoſtes.

& eorum præuenit inſidias, quia dum ſuos ſequerentur ut occiderent, forti animo & uirili impetu illos inuaſit: & ſic deo iuuante illos ſuperauit, pluresq́ ex eis occidit: & captos fratri ſuo duci præſentauit. Quod cū audiſſet imperator, iratus eſt, q a cognouit denudatas eſſe Francis dolos & inſidias ſuas. Dux uero ut cognouit erga ſe ſuosq́ imperatorē iratum eſſe, de ſuburbanis illius exiuit, & extra urbem ſua tentoria fixit. Sole igitur occidente, cum nox ſuperficiem terræ cooperuiſſet, ſatellites imperatoris præſumpſerūt ducem inuadere, ſed diuina adminiculante gratia, cum magno ſui detrimento, uix magno labore manus illius potuerunt euadere. Alter in alterum irruit, ſed alter altero præſtantior fuit. Dux cum ſuis frendens ut leo, illos cito diſperſit, & ſeptem occidit, cæteros inſecutus uſq; ad portam ciuitatis. Dux inde ad tentoria ſua rediit, & inde quietus manſit. Imperator autē pacem ab eo per internuntios quæſiuit, & tandem impetrauit, & mercatū ei omniū rerum quæ in ciuitate erāt permiſit. Interea gens Gallicana cœpit appropinquare regiæ ciuitati, Podiēſis epiſcopus, & comes ſancti Egidij, comites quoq; Normānus Flandrēſis, & Stephanus Carnotenſis. Cum hæc itaq; aguntur, ut diximus, proſpero ſucceſſu Boamundus Apulienſis, paratis ſuis diſpendijs, tanto itineri congruentibus, mare intrauit, & in Bulgariā regionē tranſnauigauit, cum quo erant nobiliſſimi principes Tancradus uidelicet nepos eius & Marchiſi filius, Richardus princeps, & omnes terræ illius optimates: Qui tantā in Bulgaria copiam repererunt, quod à fructu frumenti, uini, & olei omnes multiplicati ſunt. Deinde deſcendentes Andronopolim ibi tandiu quieuerūt, quouſq; omnes trāſfretauerint. Illic Boamundus uir prudēs cōminatus eſt ſuo exercitui, ne aliquis aliquid alicui uiolenter auferret, ſed unuſquiſq; quod ſibi competeret cōpararet. Tandem transfretatis omnibus, in quandam regionē intrauerunt, bonis omnibus uberrimā, de uilla in uillam, de caſtello in caſtellum, de ciuitate in ciuitatē progredientes, Caſtoriā peruenerunt, & ibi ſolennitatē dominicæ natiuitatis celebrauerunt & per dies plurimos illic manſerunt. Cumq́ forum rerum uenalium ab indigenis quærerent, impetrare nequiuerunt, quoniā omnes à facie eorum fugiebant, æſtimātes noſtros adueniſſe cauſa prædandi, & omnem terram depopulandi. Ideo noſtri cōpulſi ſunt ciborū inopia, rapere prædari, oues, boues, arietes, hircos, porcos, & quæ uſui ciborū erāt utilia. Egreſſi de Caſtoria uenerūt in Palagoniā, in qua erat quoddā caſtrum hæreticorum. Quod undiq; aggreſſi ſunt, & crepātibus buccinis, & telis ac ſagittis uolantibus illico ceperunt, & ſpoliatum omnibus bonis ſuis, cum ipſis habitatoribus igni combuſſerūt. Nec id eis iniuria contigit, quia illorum deteſtabilis ſermo, ut cancer ſerpebat: iamq́ circūiacentes regiones ſuo prauo dogmate fœdauerat, ſicut & ipſos à recta fide ſua fœda intētio abſtulerat.

Deniq; in craſtinum ad flumē Bardarū uenientes, plures ipſo die trāſierunt

runt, alij uero q, ſole negante, tranſire nequiuerāt, manſerūt. In craſtinū illosq remanſerāt, inuadit exercitus imperatoris ſummo diluculo, aurora iam lucēſcēte, & oēs occidere aut captos uinctosq́ abducere, in animo habebāt. Quibus dū noſtri fortiter reſiſterēt, rumor puenit ad aures Boamundi & Tancradi. Tancradus uero non diu ferens ſuos ita periclitari, equo uolitans ad flumē puenit, & ſe cū equo & armis in illud iniecit: eūq́ duo millia equitū ſunt inſecuti. Qui ꝓtinus aduenietes inuenerūt Turcopolas & pincennates cū eis dimicantes. In quos ſubito, ut effrenati irruentes, multos neci dederūt, & plures captos in uincula cōiecerūt, & loris irretitos ad Boamundū adduxerūt. Quos ut uidit, deo gratias egit, & hilari uultu ſubridens, eisq́ p interpretē dixit: Gens male ſana, quare quæritis occidere gentē noſtrā? Nos ſumus Chriſtianæ fidei cōſortes & domeſtici & peregrini milites ſancti ſepulchri. Nos neminē ueſtrū quærimus lædere, nec impatori ueſtro molimur aliqd auferre. Ad hæc illi reſpondētes dixerunt. Dñe conductitij milites ſumus impatoris, & ſtipēdia noſtra promereri ab eo deſideramus. Quò ei libet uadimus, quod præcipit facimus, & magis illi quā deo obedimus. Nos tamē recognoſcimus, quod magis oportet obedire deo quā hominibus. Impator noſter magis phorreſcit agmina ueſtra, quā cæli fulmina, qa magis ſibi pſuadet uos uelle eū regno ſuo priuare, q̄ uelle pegrinari: & ideo nō ceſſat malū erga uos machinari. Sed ꝓpter deū cuius pegrini, & milites eſtis, dignemini noſtri miſereri. Ad hæc uerba uir egregius cōmotus ſpiritu miſericordiæ, cōdonauit eis uitā, & illæſos abire pmiſit. Et dum ſic læto ſucceſſu ꝓcederet, Francorū exercitus Cōſtantinopolim cōuenerat, & eius præſtolabaī aduentū, quē audierat illic in ꝓximo affuturū. Impator aūt cū uidiſſet, caſtra dei undiq; ſic affluere, & exercitū ſuū, quē miſerat cōtra Boamundū, ſic diſſipatū eſſe, exæſtuās animo cœpit admodū anxiari, & fraudulentas cogitationes in corde ſuo uerſare. Tandē ſimulauit animū, & quaſi de eius aduētu gratulabundus eſſet, & miſit obuiā Boamūdo, q eū p ciuitates & caſtella ſua gratanter excipent, & ad ſe cum honorificētia cōducerent. Compertū uero noſtri habebant, quod non agebat hoc ex aliquo affectu & ſtudio amicitiæ, ſed ſecreta cordis ſimulatione. Indigenæ aūt terræ illius, accepto impatoris impio, cateruatim uictui neceſſaria cōferebant, & precio ſatis cōpetenti uendebāt. Sicq́ uenientes ad ciuitatē quæ Suſa memoraī, Boamundus ibi ſuū dimiſit exercitū, & Cōſtantinopolim cum paucis prexit ad impatoris colloquiū. Tancradus autē dux remanſit cuſtos exercitus. Nolunt autē ibi diutius manere, qa extranei erant cibi quos ſibi oportebat emere. Et eduxit eos ſeorſum in uallē ſatis omibus bonis uberrimā, & corporalibus incremētis ſatis opimā. Interea Boamundus dum aduentaret ciuitati, Francorū exercitus pars maxima uenit ei obuiā, & unanimiter receperunt eum, ſicut mater unicū filium. Boamundus autem ut con-

Excuſatio militū in acie captorum.

ſpicatus eſt tot conſules, tot optimates, obuiã ſibi occurrere, ĩ cælũ manus erigens, obortis prægaudio lachrymis, fleuit uberrime: & oſculatis pluribus, uix tandẽ repreſſis ſingultibus, ut loqui potuit, ſuffuſis ora fletibus in hæc uerba exorſus eſt fari: O bellatores dei & indeficiẽtes peregrini ſancti ſepulchri, quis ad hæc peregrina loca uos adduxit, niſi ille qui filios Iſraël ex Aegypto per mare rubrũ ſicco ueſtigio tranſduxit? Quis alius inſeruit uobis animum ut relinqueretis poſſeſſiones ueſtras, & natale ſolum? Cognatos & affines, coniuges & liberos abdicaſtis, imò & omni corporeæ uoluptati renuntiaſtis. Nunc iterum ſecundò regenerati eſtis, per confeſſionem ſcilicet & pœnitẽtiam: quam quotidie duris laboribus exhibetis. O felices qui in tali opere deficiẽt, qui ante uiſuri ſunt Paradyſum, quam patriã ſuam. O ordo militum, nunc terq; quaterq; beatus, qui huc uſq; fuiſti homicidij ſanguine deturpatus, nunc ſanctorũ ſudoribus cõpar martirũ, cæleſti es diademate laureatus. Huc uſq; extitiſti incitamentũ iræ dei: nũc uero recõciliatio gratiæ ipſius, & ꝓpugnaculũ fidei eius. Quapropter inuicti milites, quia nunc primũ incepimus deo militare, non gloriemur in uiribus ſiue in armis noſtris: ſed in deo potẽtiſſimo oĩm, quoniã ipſius eſt bellum noſtrũ: & ipſe dominabitur gentibus. Boamundus cum hæc & plura id genus prætenderet, conciliauit in ſe animos audientium, & magnam gratiam inuenit in conſpectu omnium. Tunc omnes cum eo ad ciuitatẽ uenerunt, & ad hoſpitiũ ſuũ, q̃d ei imperator præparari iuſſerat extra urbem, deduxerũt. Subdolus itaq; imperator uidẽs creſcere caſtra dei, & de die in diem augmentari, inops animi, expers ſenſus, pauper conſilij, ira uehemẽti cœpit anxiari. Mens enim fraude plena, ſemper anxiat̃, & eſt ſollicita, & quod machinat̃ alteri, pertimeſcit ſemper ſibi machinari. Sed noſtri hoc prorſus nõ quærebãt, quia contra Chriſtianos præliari nolebãt. Tandem iuſſit ad ſe uocari Boamundũ, & cũ illo & cum Græcis ſuis huiuſcemodi habuit conſilium. Requiſiuit à noſtris principibus exercitus, fœdus & ſecuritatem pacis, & ipſe paraturũ ſe pollicitus eſt eis ꝑ deſertas regiones, quas ingreſſi erant, forum rerum uenalium omnium, & in omnibus bellicis negotijs ſui præſentiã, & ſuæ gentis auxilium. Iurauit & generaliter omnibus quod omnia quibus indigebant in armis & ueſtimentis ſe miniſtraturum: nec amplius ulli peregrino ſancti ſepulchri nociturum, aut noceri conſenſurum. Hoc conſilium cum detectum fuiſſet, placuit in cordibus ferè omniũ: quoniã pleroſq; angebat neceſſitas rerum tẽporaliũ. ſtatuerunt Græci cum ſacramento hoc fœdus tali conditione, ut tãdiu duraret, quãdiu ipſe perſeueraſſet in ſacramento ſuo & ꝓmiſſione. Comes uero ſancti Egidij cũ requiſitus fuiſſet de fœdere, id nullatenus facere uoluit, ſed ſi ei crederet̃, tota ciuitas cũ ſuis habitatoribus & ipſo imperatore deſtrueret̃. Sed nõ erat ratio ut tam regia ciuitas, tantæq; deo ſacratæ deſtruerentur eccleſiæ, & tot ſanctorum corpora aut igne cremarentur,

Conſolatio ad milites.

Cor impiorũ nõ quieſcit.

Ictum fœdus cum hoſte.

rentur, aut ſuis ſedibus uiduarentur. Tandem comes ſancti Egidij aliorum ſuaſionibus euictus, aſſenſum præbuit, & in hæc uerba ei fidelitatem promiſit dicens. Alexio imperatori iuro quod nunquam per me aut per me os uitã aut honorẽ amittet, aut quicquid hodie iuſte aut iniuſte poſſidet. Hãc illi fiduciã iurauit, & imperator adquieuit. Iurauit deinde idẽ imperator dicens. Ego Alexius imperator iuro Hugoni Magno & Gothefrido duci cæteriſq; qui hic aſtant Francorũ principibus, quod nunquã in uita mea iniuria afficiam ullũ peregrinũ ſancti ſepulchri, aut permittam offendi, & quod cũ illis pergam in bellicis negotijs, & pro poſſe meo cõ eatum ſufficientẽ cũ illis conduci faciã. Nemo miretur quod tot & tam nobiles Franci quaſi coacti fœdus inierunt, cum ſi res ex ratione penſetur, quod uere coacti fuerint inuenietur. Intraturi enim erant terrã deſertam & inuiã, terrã ab omnibus bonis prorſus alienam, & ſciebant quod diurnum laborẽ ferre nõ ſufficit, cui uictus quotidianus deficit. Propter huiuſmodi neceſſitatẽ, facta fuit huiuſmodi cum imperatore pactio. Sed in mente imperatoris ſemper manſit fraudulẽta factio. Et bene cõpeteret fœderis rata cõciliatio, ſi apud imperatorẽ foret integræ fidei aſſertio. Sed quicquid iurauit, totum cũ uerbo exinaniuit, quia periurij noxã incurrere maluit, quàm gentẽ Francorũ à ſuis finibus nõ elõgare. Sed ne omnino uideamur ut elingues præteriſſe urbẽ regiã, loquamur aliquid de ea, quoniã diſſonũ nõ uidetur ab hiſtoria. Legimus in quadã hiſtoria, quod Cõſtantinus imperator Romanus cũ quadã nocte in ciuitate quæ Bizantiũ memorabatur, obdormiſſet, uiſionẽ uidit, quæ in hũc modũ ei apparuit. Anus quædã ueſte diſſipata & quaſi ſemicincijs circũſepta ueniebat ad eum, & eius opis flagitabat ſubſidiũ. Veſtẽ exigebat qua indueretur, coopertură qua tegeretur, alimoniã qua paſceretur. Promiſitq; ei rex cõtinuo ſe ſubuenturũ, & indubitãter poſtulata collaturum. Et ſic uiſio diſparuit. Tunc uir potentiſſimus ſomno excitus, cũ in corde ſuo quæ nam eſſet uiſio hæc, uerſaretur: diuino nutu intellexit, ciuitatẽ ipſam in qua erat quærere, & ſe in melius reſtitui peroptare. Sicq; Conſtãtinus à fundamẽtis illã erexit: & de ſuo nomine Conſtãtinopolim appellauit: quam Romæ mœnibus altis ædificiorũq; ſtructura nobili coæquit, & pari gloria & honore terreno ſublimẽ reddidit. Quæ ſicut Roma eſt caput Occidẽtis, ita & illa ciuitas debet eſſe Oriẽtis. Eſt autẽ ſita inter Adriaticũ mare, & illud quod nũc uocatur Brachiũ ſancti Georgij, ſupra quod mœnia ciuitatis locata ſunt. Hæc præ cunctis alijs urbibus fœcunda eſt pingui agro, & omni marinarũ diuitiarum mercimonio. Hanc itaq; abſq; diuino nutu cõditam nemo dubitet, quoniã præuidit deus quod erat futurũ, quod nos modo uidemus impletũ. Niſi enim talis condita fuiſſet ciuitas, Oriẽtalis chriſtianitas ubi diffugiũ habuiſſet. Ibi nũc receptaculũ habẽt ſanctiſſimæ reliquiæ ſanct. prophet. & apoſtol. & innumerabiliũ martirũ ſanctorũ, quæ illuc translatæ ſunt à Chriſtiani nominis hoſtiũ Aſia & Africa

Conſtantinopolis.

olim fuerũt Chriſtianorũ,quæ nunc ſubijciunt̃ immũdis ritibus gentiliũ. Ideo igit̃ talis effecta eſt urbs regia Cõſtantinopolis,ut ſanctarũ, quas ſupra diximus,reliquiarũ foret tutiſſima regia. Et ideo debet bene Romæ coæquari dignitate ſanctuarij,& excellẽtia regiæ dignitatis. In utraq; em̃ Chriſtiana religio uidet̃ ſedem habere, ſi in terris modo habet ullã. De his ergo loqui ſufficiat,& hic ſecundus liber finem recipiat.

ROBERTI MONACHI DE CHRISTIANORVM PRINCIPVM BELLO CONTRA TVRCAS,

Liber tertius.

CONFOEDERATIS igit̃ cũ imperatore Gallorũ principibus, iuſſit imꝑator naues adduci, ut omnis exercitus ſine magna dilatione poſſet transfrerari. Primus itaq; trãſiuit dux Gothefridus, & Tancradus,& uſq; Nichomædiã prexerunt, & ꝑ tres dies ibi feriati ſunt. Videns ergo dux quod nulla pateret uia trãſituris, ꝑ quã tantũ exercitũ conducere poſſet, præmiſit quatuor millia hominũ cũ ſecuribus ac uomeribus,alijſq; ferramẽtis aptandæ uiæ cõuenientibus. Erat autẽ terra illa inuia; ꝑ iuga montiũ, ꝑ concaua ualliũ, ꝑ defoſſa terrarũ undiq; præpedita. Cõſtrauerunt itaq; uiã plurimo ſudore uſq; Nicæã ciuitatẽ, peditibus,equis, omniq; trãſeunti ſatis idoneã. Poſuerũtq; ligneas cruces ꝑ reflexus uiarũ,in teſtimoniũ ut cunctis notũ fieret, q̊d uia illa erat peregrinantiũ. Sicq; ſuo tractu ꝑtranſiit om̃is multitudo: excepto q̊d Boamũdus remãſit cũ imꝑatore, diſpoſiturus cũ eo de cõmeatus ꝓmiſſione. Sed ultra modũ ꝓtelari uidebat̃ illa ꝓmiſſio, ꝗa antequã ꝑueniret, apud illos qui pauꝑiores erãt uerſabat̃ maxima famis cruciatio. Ad Nicæã urbẽ conuenit robur exercitus, pridie nonas Maij, & antequã cõmeatus duceret̃, uendebat̃ xix, aut xxx, denarijs unus panis. Poſtquã uero Boamũdus cum cõmeatu uenit, penuria euanuit, & copia omniũ bonorũ affuit. Die ſiquidẽ aſcenſionis dñi, urbẽ obſidione uallauerunt, & baliſtas & arietes, & cætera id genus inſtrumenta ꝗbus inhabitãtes expugnari quirent, appoſuerũt. A parte orientis, ꝗa inexpugnabilior & magis munita ciuitas eſſe uidebat̃, applicuerunt ſui robur exercitus principes iſti, Podienſis epiſcopus, comes Raimũdus, Hugo Magnus, comes Normannus, comes Flandrenſis, comes Stephanus Carnotẽſis. A ſeptentrione dux Gothefridus. Ab occaſu ſolis Boamundus. Ab auſtro uero pars nulla fuit, ꝗa lacus magnus ibi p̃ſidio fuit. In illũ ciues cũ nauibus ſuis introibãt, & ligna & herbã aliaq; neceſſaria afferebãt. Quod ut principes agnouerunt, tum legatio ad imperatorẽ cucurrit, ut naues conduci faceret, uſq; Ciuitto ubi portus eſt, & boues cũ eis qui eas uſq; ad lacũ traherent. Qui illico dictis paruit

& iuxta,

& iuxta principũ uelle factũ fuit. Quid plura? Diſpoſitis circa urbẽ agminibus, Chriſticolæ uiriliter inſiſtunt: & Turci quia de uita eorũ agitᷣ, fortiter reſiſtũt. Turci toxicatas ſagittas mittebãt, ut quos uel leui tactu ſauciarent, graui morte perimerẽt. Noſtri uero pro uita mori nõ formidantes, altas circa muros machinas erigunt, quibus infra ſe illos qui in muris erant deſpiciunt. Ligneæ turres lapideis turribus opponuntᷣ, & iam cominus hoſtis, lanceis & enſibus impugnatᷣ. Iamq́ʒ ſudes, facesq́ʒ, lapidesq́ʒ iaculantᷣ in urbem, hoſtis terretᷣ, quia iam de morte timetur. Vnde fragor turbæ, clamorq́ʒ ſonabat in urbe. Paſſim fugiebãt matres cũ filijs & filiabus ſuis ſolutis crinibus, latebrasq́ʒ quærebãt, qͣ ſpem fugæ nuſquam habebãt. Iamq́ʒ ut ſe uictum redderet, parabat hoſtis, cũ LX millia Turcorũ eminus aduenire cõſpexit. Ipſi em̃ de ciuitate præmiſerãt ad illos, dicentes, ut ꝑ Meridianã portã uenirẽt ad ipſos, & adiuuarent eos. Noſtri uero interim obſederãt illã portã magno comitatu, & cuſtodiebãt eã Podiẽſis epiſcopus & comes ſancti Egidij. Turci uero de montanis deſcendẽtes, ut eminus noſtrorũ agmina conſpexerũt, timore perculſi ſunt: & niſi in ſua multitudine cõfidiſſent, fugæ præſidiũ, frenis retroflexis, arripuiſſent: feceruntq́ʒ tres turmas, ut una ſupradictã irrũperet portã: & duæ confligẽdo, ſi neceſſe eis incũberet, liberius ſubſequerentᷣ tertiã. Sic Turci diſpoſuerũt. Sed dei cõſilio noſtri eruditiores hãc diffinitionẽ aliter mutuauerũt. Nã Podiẽſis epiſcopus, & comitis Raimũdi exercitus, ut primũ illos uiſu attigerunt, urbe relicta, celerrimo curſu irruũt in illos: nõ plus eorũ formidantes multitudinẽ, quã canes fugientes leporẽ. O quot millia electorũ militũ illos ſunt inſecuti: paratiores de Turcorũ corporibus extrahere animas, quã quiſquã famelicus eũdi ad nuptias. Turci uero ut uiderũt tot armorũ ꝑnimiũ ſplendorẽ (ſuggerebat em̃ flãmãtibus radijs ſol fulgorẽ) tot ueloces equorũ occurſus frementiũ, tot haſtas cõtra ſe uibrãtes, terga uerterũt, & nimis pigri & inermes ad montana redire uoluerunt, ſed quicũq́ʒ inde deſcẽderunt, rurſus aſcẽdere nõ potuerũt. Et male mulctati, nece dura ſunt cruciati. Auxiliante deo, ſic agmina noſtra triumpho tali lætantᷣ, & ad urbẽ regrediuntᷣ. Qui iterum machinas aſcendẽtes, ut maiorẽ metum hoſtibus incutterẽt, baliſtis & fundis occiſorum capita Turcorum in urbẽ proijciebãt. Nec tardante mora, ſunt ipſa tẽporis hora, naues allatæ Cõſtantinopolitanæ. Sed illa die in lacum nõ immiſerunt, ſed nocte, plenas Turcopolis, gente ſcilicet imperatoris benedocta & aſſueta nauigationibus. In craſtinũ ſurgente aurora, ut uiderunt naues hij qui erãt in ciuitate, præ nimio timore exterriti ſunt, & ultra habẽtes minime ſpiritũ, quaſi iam mortui, in terrã corruerunt. Vlulabãt oẽs filiæ cum matribus, iuuenes cum uirginibus, ſenes cum iunioribus. Vndiq́ʒ luctus, undiq́ʒ miſeria, qͣ euadendi ſpes nõ erat ulla. Intus erat mœror, & mẽtis hebetudo: foris gaudium & exultatio. Tandem inuenerunt euadendi conſilium,

Quomodo Nicæa expugnata ſit.

lium,quia per Turcopolas imperatori ſignificarunt ei ſe reddere ciuitatem,ſi illæſos & incolumes cum ſuis rebus eos permitteret abire. Quod ubi imperatori nunciarent,admodum inde gratulatur,ſed & in demente concipit fraudem,ut deinceps parturiat iniquitatem: Iubet ut ſuis reddatur ciuitas, Turcis integra fiducia tribuatur, & ad ſe Conſtantinopolim conducantur. Quod ideo fecit(ut res ipſa deinceps innotuit)ut cum tempus accederet,ad detrimentum Francorum paratiores inueniret. Itaq; ciuitas redditur,& Turci Conſtantinopolim deducuntur. Nec immemor tamen fuit imperator tanti beneficij,quia pauperibus qui erant in exercitu largas eleemoſynas præcepit erogari. Septē itaq; hebdomadibus & tribus diebus Nicææ ciuitatis protenſa eſt expugnatio: Nec ulla ui humana ſuperata fuiſſet,niſi dei adiutorio. Eſt enim muris denſiſſimis & altis turribus præmunita,ut caput & nulli ſecunda in tota Romania. In hac olim tempore Conſtantini imperatoris CCCXVIII epiſcopi agregati fuerunt,& de fide noſtra propter hæreticorum uerſutiam,qui tūc temporis erant,tractauerūt,& ita omnia ſicut tenet nunc catholica eccleſia omnes unanimiter ſanxerunt. Et ob hoc dignum erat,ut in initio ſanctæ fidei afferreretur & deo reconciliaretur,& ſanctæ matri noſtræ eccleſiæ, ut membrum ſuum,redintegraretur. Et prouiſa fuit & diſpoſita hæc noua redintegratio, quâm plurimorum qui ibi occiſi ſunt conſecrata martyrio. In hunc modum,ut diximus,liberata eſt Nicæa ciuitas, & expulſa eſt ab ea omnis diabolica captiuitas. His ita patratis,ſua mox tentoria noſtri deſigunt, & abire parant, ſic urbe relicta miſſis legatis Conſtātinopolitanis.

Qualis Nicæa urbs.

Poſtquam uero de ciuitate receſſerūt, duobus diebus cōiuncta agmina in unum proceſſerunt,& ad unum pontem peruenerunt, iuxta quem duobus diebus quieſcentes feriati ſunt, & de uirenti gramine equos & beſtias ſuas refocillauerunt. Quia uero ingreſſuri erant terram deſertam & inaquoſam,conſilium inierunt,ut diuiderentur, & in duo agmina partirentur. Non enim una terra,una regio ſufficiebat tot hominibus, tot equis,tot animalibus. Vna igitur & maior acies Hugoni Magno committitur. Altera uero Boamūdo coniungitur. In prima acie fuerūt cum Hugone Magno Podienſis epiſcopus, comes Raimūdus, dux Gothefridus,& Flandrenſis comes Robertus. In ſecūda autē cū Boamundo, Tancradus, comes Normannus,& multi alij principes,quorum nomina ignoramus.

Diuiſio exercitus.

Itaq; proſpero ſucceſſu per Romaniā iam quaſi ſecuri equitabāt. Sed ecce ex improuiſo quarto die,hora tertia, hij qui erant cum Boamundo uiderunt CCC Turcorum millia ſibi occurrere,& clamoſis uocibus, neſcio quid barbarū perſtridere. Propter quorū immēſam multitudinē, quidā ex noſtris hæſitare cœperunt,utrū reſiſterent,aut fugæ diuortia quærerent. Tunc Boamūdus, ut uir fortiſſimus & prudētiſſimus,& Normanus

Inexpectatus hoſtis occurrit.

ut

ut miles animoſus, ut uiderunt quorundam animos titubare, præcipiunt omnes milites deſcendere, & ſudes tentoriorum infigere. Erat autem ibi quidam riuus currentis aquæ præterfluens, iuxta quem in longum ſua tentoria ponunt. Quamcito prouidus Boamundus celerē dirigit nuntium, qui celeri curſu noſtros uocaret, equo uolitans, ut ſtatim ad bellum properarent iam paratum. Antequam uero tentoria tenſa fuiſſent, centū quinquaginta Turci equis uelocioribus aduecti, noſtros aggrediuntur & tenſis arcubus ſuas ſagittas toxicatas in eos immiſerunt. Noſtri uero equis admiſſis illos exceperunt, & comprehenſos occiderunt. Turcorum quippe conſuetudo eſt, ut retro confugiant tractis ſagittis, & dum fugiunt, aduerſum uulnus ſe inſequentibus infligant. Sed fugæ nullus locus erat, quia denſitas hoſtium occupauerat ipſa cacumina montium. Propterea noſtri dextra leuaq; eos inſtanter trucidabant. Et arcus & ſagittæ inutilem ibi locum habebant. Tandem confractis lanceis Francorum in corporibus impiorum, res agitur gladijs. O quot ibi corpora corruerūt, truncatis capitibus, aut mutilatis aliquibus membris. Illic uideres, quod poſterior pars hoſtium impellebat priorem in gladios trucidantium.

Dum ſic pugnatur, dum ſic pars prima necatur, pars ea Turcorum quæ riuum tranſiit, protinus inuaſit tentoria Chriſtianorum: Diruunt illa, trucidant matres cum pueris, & quos imparatos bello reperiunt & ſine armis. Clamor morientium Boamundi peruenit ad aures, & protinus quid eſſet intellexit. Bellum comiti Normanno committit: & ad tentoria celeri curſu properat. Quos ut uiderunt Turci, mox terga dederunt. Boamundus autem conſpicatus ibi iacere multos exanimes cœpit lamentari: & dominū ut uiuis ac mortuis eſſet refugium deprecari. Ad bellum feſtinus remeauit, ſed tamen pro uallo & munimine in tentorijs milites dereliquit. Antequā ad bellum uero rediret, fuerant iam noſtri adeô fatigati, ſiti, labore & calore æſtus, ut niſi mulieres potū de riuo præterfluēti attuliſſent, multi ipſo die bello ſuccubuiſſent. Iam uero noſtri Turcis irruentibus ſemel terga dederunt, & niſi cito comes Normannus aureū uexillum in dextra uibrans equum conuertiſſet, & geminatis uocibus militare ſignum, Deus uult, exclamaſſet, noſtris illa dies nimis exitiabilis eſſet. Sed poſtquā uiderunt reuerti Boamundum & comitē Normannum, ſpiritū audatiæ reſumpſerunt, & magis mori quam ulterius fugere elegerunt. Tanta quippe erat Turcorum inſtantia, & unus ita impellebat aliū: quia nuſquā erat cuiq; pro ullo cōmodo diffugiū. Noſtros ita uallauerāt, q a locū uacuū niſi circa tētoria nō inueniebāt: multi de noſtris tūc mortui ſunt, q Turcorū ſagittis perierūt. Nullus noſtrorū uacabat ab offitio, nullus erat abſq; miniſterio. Milites & ad bellū expediti pugnabāt: ſacerdotes & clerici plorabāt, & orabāt, mulieres lamētantes mortuorū corpora intēto *Sacerdotū in bello munus.*

ria trahebāt. Et dum ſic noſtri coartantur, dum nube uolantium ſagitta rum obumbrantur, aduolat interea dux Gothefridus & Hugo. Qui cum ad montana peruenerunt cum quadraginta millibus electorū militū, aſpi ciunt tentoria ſuorum undiq; circūſepta agminibus Turcorum, ſociosq́; ſuos utcunq; pugnantes, mulieres in tentorijs magno ululatu uociferan tes, ardeſcunt animo, & ſicut aquila fertur in prædam quam uox pullo rum ſtimulat ieiuna ſuorum: ſic ira accenſa penetrarunt agmina denſa. O quantus ibi fragor armorum, quantus ſtrepitus confractarum lancea rum, quantus clamor morientium, & quàm hilaris uox pugnantiū Fran corum, militare ſignum ſuum altis uocibus conclamantium. Congemi nantur illæ uoces dum eas recipiunt & recipiendo emittunt concaua ual lium, cacumina montium, ſciſſuræ rupium. Miſeri quos primum inueni unt, quia nunc homines, nūc ſola cadauera ſunt, quos nō cōtegit lorica uel clipeus, & quos non adiuuat ſagitta uel ſinuatus arcus. Vlulant, gemunt, terram moriētes calcibus terunt, aut procūbentes herbam mordicus ſcin dunt. Hos repentinos ſonitus, longe poſiti percipiūt: alij gratulantur, alij mœſti fiunt. Franci intelligunt militare ſignum ſuorum pugnantiū. Tur ci uero lamentabiles gemitus ſuorum morientium. Torpeſcit ſtupefa cta manus iniquorum, conualeſcit iam fatigata manus Chriſtianorum.

Interea dum Turci qui noſtros impugnabant ad montana reſpiciūt, conſpiciunt Podienſem epiſcopum & comitem Raimundū, cum reliquo exercitu militum & peditum de montibus deſcēdere, ſuosq́; inuadere, ob riguerunt timore magno præ multitudine bellatorū, putantes quod aut de ſupernis ſedibus bellatores pluiſſent, aut de ipſis montibus emerſiſ ſent. Iam prælia innouantur, recenterq́; plurima Turcorum millia pro ſternuntur. Quid faceret Turcus, populusq́; per omnia ſpurcus? Niſi ſua terga daret & unde uenerat remearet. Sed qui prius cauda fuerat, caput incipit eſſe. Sicq́; caput caudam ſequitur, fugient fugientes. Noſtri quo que qui iam prope in ſuis erant incluſi tentorijs, iterum reſumpto ſpiri tu animantur, & ſua uulnera grauesq́; iniurias de hoſtibus ulciſcuntur. Qui prius inſtabant, fugiunt per deuia quæq́;. Miles Chriſti proſternit eos nece triſti. Sanguine terra madet, montis rubet undiq́; cliuus. Com pleturq́; ſimul fluitante ſanguine riuus. Corpora cæſorum tot erant pro ſtrata per agrum, ut numerari nō potuerint. Ab hora igitur diei tertia uſ que ad noctis crepuſculum conflictus ille continuus fuit: & mirum eſſe poterat unde gens tanta aggregata fuerit. Sed ut aſſerebāt, qui ſe melius ſcire arbitrant, Perſæ, Publicani, Medi, Syri, Caldæi, Saraceni, Agulani Arabes & Turci ibi fuerant, & ſuperficiem terræ cooperuerāt, ſicut locu ſtæ & brucus quorum non eſt numerus. Nox quippe litem diremit, ma gnoq́; fuit eis præſidio, quia niſi tenebræ eos occuluiſſent, pauci ex tanta

multi-

multitudine ſuperfuiſſent. Gloria magna deo pro tali tantoq́ triumpho qui peremit noxios, glorificatq́ ſuos. Noſtri itaq; cõpellentibus tenebris, ad ſua tentoria reuerſi ſunt. Sacerdotibus & clericis hymnum deo dicentibus in hunc modum: Glorioſus es domine in ſanctis tuis, mirabilis in ſanctitate tua, terribilis atq; laudabilis, & faciẽs mirabilia. Dextera tua domine ꝑcuſſit inimicũ, & in multitudine gloriæ tuæ depoſuiſti aduerſarios tuos. Dixerat inimicus, ꝑſequar & cõpræhendam illos, diuidã ſpolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meum, interficiet eos manus meas. Sed tu domine nobiſcum fuiſti, tãquam bellator fortis, & dux & protector fuiſti in miſericordia tua populo tuo quẽ redemiſti. Nunc domine cognoſcimus, quia portas nos in fortitudine tua, ad habitaculum ſanctum tuum, ad ſanctum ſcilicet ſepulchrũ tuum. His dictis uoces ſuppreſſerunt, & ſecuri iam ab hoſtibus nocte illa quieuerunt. In craſtinũ uero ubi ſol flammanti lumine mũdum uenuſtauit, omnes ad campum belli cucurrerunt, & de ſuis plurimos peremptos inuenerũt: & niſi cruces fuiſſent, ſegregari ab illis uix potuiſſent. Illi uero quibus erat ſanior intellectus ut Chriſti martyres uenerabantur, & digniori honore quo poterant humabant. Et ſacerdotes & clerici ſepulturæ debitos effundebant cantus. Matres pro filijs, amici pro amicis, lugubres emittebãt plãctus. His ita cõpletis, ad cadauera hoſtium ſpolianda feſtinauerunt. Et quis referre poteſt, quantam ibi abundantiam ueſtium, quãtam auri argentiq́ copiam repererint? O quantã multitudinẽ equorum, mulorũ, mularũ, camelorũ & aſinorum noſtri tunc habuerunt? Qui prius erant pauperes, deo opitulante, diuites effecti ſunt. Qui prius ſeminudi, ſericis indumentis ueſtiti ſunt. Leguntur tela & ſagittæ, & uacuatæ implentur pharetræ. Cura uulneratis impenditur, & curæ medicorum cõmittuntur. Sicq́ die tota, non eſt gens noſtra ex eo loco remota. Huic facto egregiæ laudis ſi quis mentis oculum uelit apponere, deum mirabilẽ in ſuis operibus poterit aduertere. Eſurientes etenim ſuos repleuit bonis, diuites uero non ſuos dimiſit inanes, depoſuit potentes, & exaltauit humiles, potentes abiectos reddẽs, humiles glorioſos. Hoc eſt quod per Eſaiam prophetam ſpopondit ſuæ dilectæ Hieruſalem: Ponam te in ſuperbiam ſanctorum, gaudium in generationem, & generationem: & ſuges lac gentium, & mammilla regum lactaberis, & ſcies quia ego dominus ſaluans te, & redemptor tuus fortis Iacob. Superbia ſeculorum nobilitas eſt uirorum illuſtrium, mammilla diuitiæ, theſauros ſuos in terram fodientium: Quæ nobilitas mammilla regum paſcitur, cum ei mundana poteſtas ſubijcitur. Et inde habet gaudium & lætitiam non tantum in hac generatione præſenti, ſed & futura generatione ſeculorum. Altera autem die, quæ erat tertia menſis Iulij, tentoria ſummo mane defixerunt, & ueſtigia Turcorum fugientium ſequi feſtinauerunt.

Hymnus poſt uictoriam.

Omnia accepta referunt deo.

feſtinauerũt. Sed illi ſicut trepidæ columbæ à facie accipitris, ita ante eorum faciem fugiebant. Igitur per quatuor dies huc illucq́ꝫ fugientes, contingit ut Solimannus dux illorum inueniret decem millia Arabum uenientia ſibi in auxilium. Erat autem Solimannus filius Solimanni ueteris, qui totam Romaniam abſtulit imperatori: Hic quippe poſtquam de Nicæa fugerat, gentem hanc in unum congregauerat, & quaſi pro ulciſcenda ſua iniuria, ſuper Chriſtianos adduxerat. Hic cum eos uidiſſet & Arabes illum, præ nimio dolore equo lapſus in terram, cœpit magnis uocibus eiulare, ſeq́ꝫ miſerum & infelicem proclamare. Cui Arabes infortunij ſui caſum ignorãtes, dicunt: O cunctorum hominum impudentior, quid ita fugis? Multum degeneras: quia nunquã pater tuus de prælio fugit. Reſume animi conſtantiam, & reuertere ad prælium, quoniã uenimus tibi in auxilium. Quibus ille, ſuſpirijs uocem interrumpentibus, ait: Magna uos uexat inſania: nondum uos cognouiſtis uirtutẽ Francorum, nec experti eſtis animos eorum? Virtus eorum non eſt humana, ſed cœleſtis, aut diabolica. Nec ipſi tamen in ſuo confidunt auxilio, ſed diuino. Nonne in tantũ deuiceramus eos, quod iam parabamus iliceos funes & canabinos, ut eorũ colla immitteremus? Tũ ſubito gens innumera, quæ mortẽ non ueretur & hoſtem non timet, erupit de montibus, & indubitanter ſe inſeruit noſtris agminibus: Quorum oculi ferre poterãt eorum terribilium armorum ſplendorem? Lanceæ eorum micabant ut coruſcantia ſidera, galeæ & loricæ, ut uernantes auroræ, lumina uibrãtia: fragor armorum terribilior erat ſonitu tonitruorum. Cum ſe bello præparant, erectis in cælum lanceis, ſeriatim incedunt, & ac ſi ſine uoce eſſent, conticeſcunt. Cum uero ſuis adproximant aduerſarijs, tunc laxatis loris tanto impetu irruunt, ac ſi leones quos ſtimulat ieiuna fames, & ſanguinem animalium ſitiunt. Tunc uociferant & ſtrident dentibus & aëra clamoribus implent, & peregrini à miſericordia neminem capiunt, ſed omnes necant. Et quid dicere de tam crudeli gente ualeo? Nulla gens eſt quæ huic ualeat reſiſtere, quæ fugiendi locum poſſit inuenire: quia aut diuino aut diabolico fulciuntur auxilio. Omnes aliæ gentes noſtros arcus expaueſcunt, & tela timent: iſti uero poſtquam loricati ſunt, tantũ timent ſagittam, quantum & ſtipulam, ſic formidant telum, ſicut & fuſtem ligneum. Heu heu tercenta ſexaginta millia fuimus, & omnes uel occiſi ſumus ab iſtis, uel diſperſi fugimus. Nunc quartus dies eſt, ex quo à facie eorum fugere cœpimus, & adhuc non timore minori, quàm & primo die trepidamus. Qua de re, ſi ſano uultis parere cõſilio, quã primum ualetis à tota Romania abſcedite, & ne illorum oculus uos uideat, ſumma cautela prouidete. Hæc Arabes ut audierunt, cum ipſo Solimanno fugam con citò arripuerunt. Chriſtiani autem maiori ſollertia ſequebantur fugientium

Solimannus dux.

Oratio Solimanni uicti hoſtemq́ꝫ fugientis.

entium

entium ueſtigia, ſed illi de fuga non ceſſabant, & quantumuis eorum animi confuſi fuerint. Ad quaſcunq; tamen Chriſtianorum urbes uel caſtella fugiendo ueniebant, hilarem uultum, quaſi potiti uictoria, præferebant: dicentes. Gaudentes & cum lætitia aperite nobis ianuas ueſtras, quoniã occidimus uobis omnes Francigenas, qui uos & terras ueſtras deprædari uenerant, ne unus quidem ſupereſt de illis, quin aut mortuus ſit, aut teneatur in uinculis noſtris. Solimannus enim dux noſter alia uia procedit, & captiuos ſecum deduxit. Qui uero uerbis eorum creduli erant, aperiebant, ſeductiq; graues pœnas luebant. Nam deprædantes eorum poſſeſſiones, domos incendebant, ipſosq; aut trucidabant, aut loris aſtrictos ſecum ducebant. Nolebant quippe ut Franci qui eos inſequebant̃, aliquid inuenirent, ut uel ſic inopia coacti perſequi deſiſterent. Qui in hoc prudenti uſi ſunt conſilio, quia illis ualde profuit, nocuitq; omni exercitui noſtro. Noſtri enim inuenerũt terram illam deſertam, & inaquoſam omnibus bonis uacuam. Vellebant ſpicas ſegetum ad maturitatem proximantium, & inter manus confricando expilabant, taliq; cibo famem utcunq; mitigabant. Ibi mortua fuit maior pars equorum, & multi qui prius equites extiterant, pedites effecti ſunt. Equitabant uaccas & boues, & magnæ fortitudinis terræ illius arietes & canes. Tranſierunt itaq; ſolum illud quàm cito potuerunt, & intrauerunt Licaoniam prouinciam omnibus bonis uberrimam & uenerunt Yconium. Eſt autem Yconium opulentiſſima ciuitas temporalibus bonis, de qua meminit Paulus Apoſtolus in epiſtolis ſuis. Qui uero errauerunt in ſolitudine, in inaquoſo, ciuitatem hoſpitio commodam inuenerunt, & domino ſuggerente, bonis terrenis repleti ſunt. Cumq; digredi à ciuitate placuit, ſuadentibus incolis, aquam in uaſis & utribus ſecum tulerunt, quia aquam in craſtinum nuſquam repererunt. Die uero ſecunda in ueſperũ ad quoddam flumen peruenerunt, ibiq; duobus diebus hoſpitati ſunt. Altera autem die curſores qui præibant agmina, primò uenerunt ad ciuitatem, quæ Heraclea memoratur, in qua Turcorum maxima multitudo aggregabatur. Qui ut à longe deprehenderunt uexilla Francorum uolitantia, protinus effugerunt ut dammula erepta de laqueo, aut ceruа ſagittata. Noſtri uero laudantes dominum, ſine obſtaculo ciuitatem intrauerunt, & per dies quatuor ibi permanſerunt. Die uero quinta de ciuitate omnes exierunt. Tunc Balduinus comes frater Gothefridi ducis, & Tancradus, ab alijs ſe cum ſuis militibus diuiſerunt, & ad urbem Tharſum diuerterũt. Erant autem multi Turci in ea, qui contra eos exierunt ad prælium, ſed diu obſtare non potuerunt. Cum enim ueloces impetus noſtrorum, & ſinuatos incurſus, & diros ictus ferre non potuerũt, pluribus ſuorum proſtratis in munitionẽ urbis ſe receperunt, & noſtri caſtra ſua ante urbem

Arte feſellerunt urbes.

Yconium ciuitas.

locáuerunt,& excubitores poſuerunt. Illí uero quí erant in ciuitate Chriſtiani, nocte media ad caſtra ueniunt, cum magno gaudio clamātes atq; dicentes. Surgite inuicti mílites Francorum, quoniã Turci omnes de ciuitate fugiunt, & ulterius uobiſcum decertare non præſumunt. Noſtri tamen eos perſequi noluerũt, quia nox erat, tempus ſcilicet ad perſequendum minime idoneum. Die uero illuceſcente noſtri ciuitatẽ introierũt, & ciues eos libentiſſime receperunt. Facta eſt autem contentio inter comitem Balduinum & Tancradũm, quis eorum ciuitati dominaretur, an utrorumq; dominio ſubderetur. Tancradus renitebatur, quia ſolus eam uolebat habere, ſed tandem ceſſit Balduino, quia maior ei erat exercitus fortitudo. Fuerunt autem eis in breui temporis interuallo traditæ duæ ciuitates: una quæ uocatur Athenæ, alia quæ Manuſtra, & plurima caſtella. Iam uero ibant ſecũdis ſucceſſibus, quoniã Turci iam nõ equitabant, ſed abditi erant in munitionibus. Maior autem pars Francorum ingreſſa eſt terram Armæniorum: Quia inhianter affectabãt inebriare terram ſanguine Turcorum. Terra autem omnis ſilebat in conſpectu ipſorum, eiſq; Armænij obuiam ueniebant, & in ſuas ciuitates & caſtella recipiebant. Ad quoddã uero caſtrũ peruenerunt, quod ita naturali poſitiõe munitũ erat, ut nulla arma prorſus, nulla machinamẽta bellica metuerit. Sed tamẽ diu noluerunt ibi demorari, cum ſcilicet tota alia terra eis eſſet ſubdita, & ex affectu uolebat inclinari. Erat autem in exercitu quidã miles fortis & ſtrenuus & ab illa regione oriundus, qui terrã illam poſtulauit â cunctis principibus, ut eam in fide ſancti ſepulchri & eorũ & dei cuſtodiret, ut uitã & honorẽ eius protegeret: Cui principes unanimiter aſſenſum tribuerunt, quia ſciebant eum eſſe uirum fidelem, & bellicis rebus idoneum & fortem. Dehinc proſpero ſucceſſu uenerunt ad Cæſaream Cappadociæ. Cappadocia autẽ regio eſt in capite Syriæ ſita, ad ſeptentrionalẽ plagã porrecta. Cuius incolæ ciuitatis ultro ſe tradiderũt, eoſq; benigne receperũt. Egreſſiq; de Cappadocia, proſpere uenerunt ad quandam urbem pulcherimã & ſatis uberrimã, quâm Turci non multo ante obſederãt, & per tres hebdomadas impugnauerãt, ſed expugnare nequiuerant. Ad quã accedentes, mox cum ſumma lætícia ciues obuiã eis uenientes, beniuole ſuſceperũt. Hanc iterum petijt alter miles, nomine Petrus ab Alpibus, & impetrauit eam celerrime ab uniuerſis principibus. Ipſa nocte quidã delator nugarũ uenit ad Boamundũ, dixitq; ei, uſq; ad uiginti millia Turcorũ in proximo adeſſe, qui nondũ ſcirent Francorũ exercitũ illuc aduenisse. Ille credulus uerbis mẽdacibus, elegit milites electos quos ſecũ duxit, & loca in quibus latere debebant peragrauit. Sed ſicut delator inanis fuit, ſic & inquiſitionis effectus fruſtratus. Dehinc conſurgẽtes uenerũt ad quandã urbem, quæ uocat̃ Coxor, quæ plena erat omnibus bonis,

Libido dominandi in ducibus.

Athenæ et Manuſtra.

Cappadocia.

Coxor.

his,quæ utilia ſunt corporibus humanis. Ad quam accedentes ab his qui erant in ea Chriſtianis, officioſiſſime ſuſcepti ſunt. Et ibi per tres dies feriati ſunt. Illic unuſquiſq; ſuæ cõſuluit indigentiæ: Laſſi inuenerũt requiem, eſurientes refectionem, ſitientes potum, nudi operimentum. Prouidit itaq; eis deus tale habitaculum quo facilius pati ualerent ualidum ſuper uenturæ famis cruciatum. Interea nuntiatum eſt comiti Raimundo, quod Turci metu territi, de Antiochia fugerant, ciuitatẽq; minime præmunitam reliquerant. Qui inde accepit conſilium, ut illuc quingentos milites dirigeret, qui arcem ciuitatis occuparent, antequam alijs cognitum eſſet. Et ut uenerunt in uallem Antiochiæ uicinam, tunc primum audierunt uerum non eſſe quod Turci diſceſſiſſent à ciuitate, ſed omni niſu quo poterant moliebantur defendere. Perrexerunt igitur uſq; ad caſtrum Publicanorum, eoq; ſubiugato, aliò ſecundo itinere diuerterunt, & in uallem Derugia peruenerunt, multosq; ibi Turcos & Saracenos inuenerunt, quos in ore gladij ſuperatos prælio occiderunt. Quod uidentes Armænij terræ illius habitatores gauiſi ſunt, quia uidelicet à Chriſtianis tam uiriliter & Turci & Publicani ſunt occiſi: cõtinuoq; cum terra ſua reddiderũt ſe illis. Et Ruſam ciuitatẽ obtinuerunt, & plurima caſtella ſuo dominio mancipauerunt. *Caſtrum Publicanorum.* *Ruſa.*

Vniuerſus uero exercitus qui remanſerat iter arripuit, miſeroq; infortunij ſucceſſu per quædam montana, quæ nulli erant niſi feris aut reptilibus peruia: Vbi ſemita erat quæ non amplius unius pedis ſpacio dilatabatur, ſic hinc & inde rupibus & denſis ſpinarum ſeu ueprium frutero artabatur. Ima uallium in abyſſum uidebantur immergi, cacumina montium ad ſydera tolli. Hanc inæqualem ſemitam milites & armigeri collo ſuo arma dependentia geſtabant: omnes æqualiter pedites, quia nulli eorum equitabant: pleriq; libentiſſime loricas, galeas, clipeosq; ſuos uendidiſſent, ſi emptorem inueniſſent: multi quidem plurima laſſitudine deficientes ea proiiciebant, ut ſaltem ſic expediti ire ualerent. Iumenta cum oneribus ire nullatenus poterant, ſed pleriſq; in locis onera iumentorum homines ferebant. Stare loco aut ſedere nemo poterat, quia alter alterum impellebat. Nemo poterat iuuare ſuum comitem, niſi præcedentem ultimus, quoniam qui præibat uix conuerti ualebat ad ſubſequentẽ. Tandem finita tam infelici uia, per inuia uenerunt ad ciuitatem, quæ Maraſim memoratur, & ab incolis illis cum honore & gaudio excipiuntur. Illic abundantiam rerum temporalium inueniũt, ibi ſuæ miſeriæ & defectus conſolationem recipiunt. Ibi prior præſtolatur ultimum, ſed ante pertranſiit integra dies, antequã cauda capiti cohæreret. *Viæ difficultas.* *Maraſim.*

Congregati uero & die una quieſcentes, ſecunda die uenerunt in uallem, in qua eſt Antiochia ſita: regia uidelicet ciuitas

ab Antiocho rege conſtituta, & ab ipſo nuncupata. Hæc metropolis eſt & caput totius regionis Syriæ: olim inſignita per beatum Petrū Apoſtolorum principem cultu fidei catholicæ: In ea epiſcopalem cathedram poſuit, & Apoſtolos Barnaban & Paulum ordinauit. Nūc uero ut dominus oſtenderet oculis mortalium, quod non eſt uirtus nec ulla poteſtas niſi ab ipſo, prius hanc adquirere uoluit, in humilitate ſermonis ore prædicantium: modo eam recuperare uoluit, in ſublimitate potentiæ armis debellantium. Sic noſtri in uirtute dei ad ciuitatem properantes ad pontē ferreum peruenerunt: inueneruntq; ibi numeroſitatem Turcorum pontem tranſire cupientium, ut his qui erant in urbe præſtarēt auxilium. Sed non eſt hominum dirigere greſſus ſuos, ſed eius eſt, cuius uniuerſa ſubiecta ſunt impio. Noſtri protinus irruerūt unanimiter in eos, nulliq; pepercerunt, ſed in ore gladij magnā multitudinem ex eis peremerūt. Alij mente conſternati fugerunt, & ſic uitæ præſenti ſuæ conſuluerunt. Sic potiti Chriſtiani uictoria, multa inibi repererunt ſpolia: iumenta, aſinos, camelos oneratos uino, frumēto & oleo, & rebus alijs quæ obſeſſis ſunt perneceſſaria. Tunc caſtrametati ſunt ſuper ripam fluminis, quod non longe

Antiochiæ obſidio.

diſtat à mœnibus ciuitatis. In die craſtina onuſti bonis omnibus ad ciuitatem ire diſponunt: ad quàm deo autore peruenire ſtudētes, in partibus tribus caſtra circumponunt. Ex una enim parte montana prohibent acceſſum, & omne bellandi procul arcēt ingenium. Quarta feria decimo nono calēdas Nouembris obſidio circa Antiochiam poſita fuit, ad laudem & gloriam futuram domini noſtri Ieſu Chriſti, qui ſemper eſt mirabilis in operibus bonis.

ROBERTI MONACHI DE CHRISTIANORVM PRINCIPVM BELLO CONTRA TVRCAS,

Liber quartus.

QVIA uero urbs Antiochena non ſolum naturali ſitu, uerum etiam mœnibus excelſis, turribusq; in altum porrectis, denſiſſimisq; in cacuminibus murorum propugnaculis præmunita erat: conſilium inierunt principes ut contra eam pugnarēt, non uirtute, ſed ingenio, arte, non marte, machinamento, non conflictu bellico. Prius igitur pontē ſupra flumē ſtatuerunt, ut expeditius flumē tranſirēt, quoties tranſeūdi nececeſſe haberēt. Tunc quippe in cōfinio urbis magnā bonarū fructuū ubertatē inueniebāt, copioſas uindemias, foueas frumento

to

to plenas & ordeo, alijſq; cibarijs, arboreſq; multi generis pomis onuſtas. Hoc quoq; inſinuabant eis Armenij qui in ciuitate erãt, quiq; in die conſentientibus Turcis ad eos ueniebant: ſed eorum uxores & filij in urbe remanebant. Et hoc totum, licet Chriſtiani eſſent, callide tamen faciebant: quoniam dicta noſtrorum ſiue facta, Turcis intus renuntiabãt. Conſtruunt à Chriſticolis bellica machinamenta ad oppugnandum congrua, turres ligneæ, baliſtæ, falces, arietes, ſues, talpæ, tela, ſudes, & fundæ, & ſi qua alia potuerunt ulla excogitari arte. Sed quid ualuerunt aduerſum urbem inexpugnabilem? præſertim cum tot in ea eſſent defenſores, qui etiam cum noſtris campeſtri prælio pugnare potuiſſent. Phoſphorus auroræ rutilos præceſſerat ortus, ipſaq; rorifluo cum iam candore uibraret, ſolq; uenuſtaret flammanti lumine mundum, exurgunt propere proceres, procerumq; cateruæ: armaq; corripiunt, & ad urbis mœnia currũt. Pugna quidẽ dextra forti fit & intus & extra: illi defendũt, dum noſtri ſpicula fundunt: Telaq; cum baculis, nec non lapideſq; ſudeſq;. Fit labor immanis, ſed profectus fit inanis. Sicq; receſſerunt, quia ſternere nõ potuerunt, turres & muros, ui nulla corruituros. Cumq; uiderẽt noſtri quod nil ꝓficere poſſent, illã dimittunt pugnam, retinent tamen obſidionem. Turci quippe in ſua confidentes inuictiſſima ciuitate, nocte ianuis apertis exibant, & in caſtra ſagittas mittebãt. Contigit autem ut ita ſagittando unam mulierem ante tentoria Boamundi principis occiderint, & ideo uigilantiores excubias per caſtra poſuerunt, qui etiam portam per quàm exire ſolebant cuſtodierunt. Placuit itaq; principibus militiæ & optimatibus, ut caſtellum ſibi conſtruerẽt, quo ſecuriores eſſent, ſi inimici dei ullo modo præualerent, qui undiq; ſicut apes ad aluearia confluebant. Quod & factum eſt. Interea dum rareſcere cœpit quotidiani uictus expenſa conſilium inierunt, ut cibos quærerent, & ad quærendum, armigeros & pleroſq; milites ob cuſtodiam tranſmitterẽt. Sed qui prædari uoluerunt, partim prædati, partimq; fuere necati.

Nam caſtellum quoddam erat in montanis non longe à ciuitate nomine Areph, quod erat plenum rebellantibus Turcis, qui noſtris inſidias prætenderunt, multos uulnerauerunt & plures occiderunt, & pleroſque captos abduxerunt, cæteroſq; turpiter fugatos ad caſtra redire compulerunt. Quod miſeri caſus infortunium ubi militia dei cognouit, admodum indoluit: ſed ſibi deinceps ſalubre conſilium inuenit. Mille armigeros, ut ante præmittunt, quos Boamũdus & Flandrẽſis comes cum electis militibus ſubſequuntur, prænominata ualle, in qua ad ipſos confugerent, ſi Turci eos inſequerent. Quod ita abſq; dilatiõe cõtigit: quoniã Turci poſtq; illos eminus agnouerũt, laxatis loris, & equos calcaribus urgẽtes, inſecuti ſũt, eoſq; in fugã uerterũt. Noſtri uero ad ſuos, ſicut ad

tutiſſimum

tutiſſimum auxilium, confugerunt, & præſidiū diuini ſubſidij inuenerūt. Turci quidē cum nimis de proximo noſtros milites paratos eſſe deprehenderunt, primo ſiquidem hæſitantes loco libentiſſime ceſſiſſent, ſi cedere ualuiſſent. Vt tamen cognouerunt quod pauciores Chriſtiani eſſent quàm ipſi, bellum inierunt, tamen cum timore, in ſua confidentes numeroſa multitudine. Sed quid ualet prælium, contra quod diuinum militat auxilium? Deus enim fortis & potens eſt: dominus potēs in prælio. Duo enim ex noſtris ibi tantum perempti ſunt: Sed de Turcis occiſis nō eſt numerus, qui & de manu dei repulſi ſunt, qui in ſe cōfidentibus reſiſtit. Multos ex eis captos ad caſtra duxerunt, & coram illis qui ſupra mœnia inclytæ ciuitatis erant decollauerunt. Et ut maiorem illis dolorem incuterent & terrorem, baliſtis inciſa capita in ciuitatē proiecerūt. De hinc expeditius ire potuerunt noſtri ad uillas & uicos Armæniorum, uictum quærentes, & ipſi Armænij & indigenæ terræ illius ad noſtros commeatum afferentes. Aduenit interea ſacratiſſima dies dominicæ natiuitatis, quàm deus cunctis fidelibus ſuis celeberrimam in hoc contulit, quia qui creaturis omnibus naſci tribuit, pro ſolis hominibus naſci diſpoſuit. Feſtiuā igitur illam Chriſtiani fecerunt, quā feſtiuiſſime ab his qui in tentorijs erāt fieri potuit. Maius quippe gaudium erat in caſtris, quàm inter mœnia inclytæ urbis. Inclytam dico non propter fœdam gentilium habitationem, ſed propter humanæ cōditionis poſitionem, & præſertim propter euangelium ab Apoſtolis in ea prædicatū. Qua celebratione peracta, cōſilium acceperūt quid agerent, quoniā in caſtris uictus deficiebat, & glacialis hyems cōmeatum afferentes ad ipſos uenire non ſinebat. Illi nanque qui erant in urbe quanto magis ſciebāt noſtros eſurire, tanto magis incipiebāt in illos deſæuire, hinc aëris inclemētia, hinc miſeræ ægeſtatis inopia, hic opprimebat aduerſariorū uiolentia. Et ſicut ſolet cōtingere in multitudine cōgregatorum, non deficiebat uox murmurātium. Nec mirum erat, ſi humana fragilitas ſub tormentis tot paſſa deficiebat. Grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, illos uiolentiſſime opprimebant, nam nulla tectura cooperiebat. Nec mirum, ſi peſſime afflicti ſunt, qui extra tentoria erāt, cum ipſa tentoria nutabant. Qui propterea, ut ſupradiximus, conſilium inierunt, quid agerent, & tale inuicem acceperunt. Boamundus & comes Flandrenſis ad his ſubueniendum ſe ipſos obtulerunt, & omnibus placuit. Hij itaque triginta millia equitum peditumque elegerunt, & in terram Saracenorum intrauerunt. O rerum omnium mediator deus, quàm tempeſtiue ſubuenis in periculis & neceſſitate laborātibus. Vt impletur illud quod Salomon ſcripſit in prouerbijs, conſeruatur iuſto ſubſtantia peccatoris. A Hieruſalem & Damaſco, & Alep, cæteriſque regionibus congregati erant, Perſæ, Arabes, & Mœdi, gens uidelicet multa nimis, quæ ad Antiochiam

tiochiam diſpoſuerat uenire, eamq́ꝫ à Chriſtianis defendere: Sed aliter in cœlo fuit diſpoſitũ, quæ diſpoſitio illorum ordinationem inclinauit deorſum. Cum enim audiſſent, quod pars Chriſtianorũ intrauit terram ſuam, gauiſi ſunt ualde quoniã eſſe eos in uinculis iam quaſi irretitos arbitrati ſunt. Tunc diuiſerunt ſe in duas partes, ut ſic uallati ab eis noſtri, fugæ præſidium nuſquam inuenirent. Quæ diuiſio ſtulta fuit, quia ſtultitia in cordibus incredulorum ſemper ſuam ſedem habet. Nam utræꝗ acies ut ſeſe inuicem aſpexerunt, incunctanter altera in alteram irruit, quia illa in ſua multitudine, iſta in dei omnipotẽtia confidit: & ideo euentus belli diſſimilis fuit. Milites armati quotquot in occurſum ſui uenerũt, ut falcator meſſem, proſtrauerunt. Sed cum in girum reuerti frenis uoluerunt, quos iterum percuterent niſi fugientes nõ inuenerunt. Qui uero in manibus noſtrorũ peditum deuenerunt, in immane præcipitium corruerunt. Sciũt enim quibus bella nota ſunt, quia grauiori ſtrage pedites quã equites interficiunt. Altera uero acies quæ ſe ab altera ſeparauerat, ut noſtros circũueniret, ut audiuit uoces bellantiũ ſonitumq́ꝫ confringentiũ armorum, laxatis habenis accurrebat ſuis in auxilium. Sed ut miſeros illorũ caſus agnouit, fugientesq́ꝫ circunſpexit, timor in illos uehementiſſimus irruit, turpiterq́ꝫ fugæ ſe crediderũt. Sed quid aliud noſtri facerẽt, niſi ut perſequerentur? Nam, ſicut in uulgari prouerbio dicitur: ſi eſt qui fugiat, nõ deerit qui perſequatur. Iam omnes noſtri eos perſequebant̃, quoniã qui pedites uenerant, aſcenſores equorũ efficiebantur. Quid plura? Qui euadere potuit, lætus & hilaris fuit, qui uero interceptus, miſerrima nece occubuit. Quot aſini & cameli, quotq́ꝫ iumenta frumento, uino, cæteriſq́ꝫ cibarijs onuſta, ibi capta ſunt: quæ eſurienti exercitui dei grata iuxta ac neceſſaria fuerant. Quantũ gaudium, & tripudij exultatio fuit in illa die in caſtris: cum talia dona uiderunt ſummi procuratoris? Mirandum & gaudendum erat, quod dominus de mercibus inimicorum ſuorum de longinquo adductis, fideles ſuos reficiebat. Eſuriẽtes bonis implebat, quibus aduerſarios ſuos ſpoliabat. Sic quoꝗ filijs Iſraël olim faciebat, cum per terram gentilium regum tranſire cupiebãt, & illi publicum uiæ regiæ inceſſum eis denegabant. Omnes pari modo, qui contra illos accipiebãt gladium, gladio peribant, & eorum terra & facultates dabantur eis in poſſeſſionem. Nunc uero idem dominus eadem recompenſatione confert ſuorũ aduerſarijs, ut iſti credant ueraciter actum fuiſſe, quod ſcriptum eſt de illis. Per omnia benedictus deus, quia ſine ipſo nihil poſſumus. Interim dum iſti glorioſi principes abfuerunt, qui in ciuitate erant repente de ea exierunt, noſtrosq́ꝫ inter caſtra inuaſerunt. & plurimos ex eis occiderunt. Ipſo die Podienſis epiſcopus perdidit Dapiferum ſuum: qui aciei deferre ſolebat uexillum. Et niſi flumen inter caſtra & urbem fuiſſet, maioribus

iniurijs & frequentioribus laceſſiſſent. Quibus bellorum euentibus, & ma
xime famis inopia, pleriq; noſtrorū afflicti, abire moliebantur: Quia nimis
graue erat inuitis ferre ieiunium: & ideo machinabātur ab obſidione dif-
fugium. Quos Boamundus uir facundus & gratus eloquio, ita affatus eſt,
dicens. O uiri qui huc uſq; fuiſtis bellatores egregij, quos deus permulta
iam bellorum pericula uictores reddidit, quosq; uirtus experientiæ ut illu
ſtres decorauit, quid contra dominum murmuratis, quia præmit uos an
guſtia paupertatis? Cum uobis porrigit manum tunc exultatis, cum re-
laxat tunc deſperatis. In hoc uidemini non diligere donantem, ſed dona:
non largitorem, ſed largientis oblationem. Cum largitur dominus, ami-
cus eſt: cum ceſſat, inimicus uobis uidetur eſſe & extraneus. Cui unquam
genti præſtitit deus in tam breui tempore tot bella cōmittere, tot acer-
rimos hoſtes ſuperare, tot ſpolijs gentium ditari, tot triumphantiū pal-
mis inſigniri? Ecce nunc innumerabiles hoſtes ſubegimus: ecce nunc eo-
rum ſpolia ad uos attulimus. Quid eſt quot ſic diffidimus, cum ſic quoti-
die uincamus? Non longe eſt à uobis, qui ſic pugnat pro uobis: ſæpe qui-
dem fideles ſuos tentat, ut utrum diligant ipſum innoteſcat. Nunc ten-
tat uos per inopiæ moleſtias, & per aſſiduas ab hoſtibus ueſtris preſſu-
ras. Quod ſi tantas intuliſſent nobis iniurias, quantas & nos eis irrogaui-
mus: ſi tot de nobis occidiſſent, quot de illis nos proſtrauimus: ſi aliquis
de nobis ſupereſſet, iure ille conqueri potuiſſet. Sed pro certo qui cōque
retur nullus eſſet, quoniā nemo ſuperſtes remanſiſſet. Propterea nolite
diffidere, ſed eſtote uiri cordati, quoniā ſi in ipſo uiuitis, aut pro ipſo mo-
riemini, eſtis beati. His & talibus dictis animos eorum eneruatos, robu-
ſtos reddidit, & in effœminatas mentes uirilitatē induxit. Paucis deniq;
diebus euolutis hyems aſpera inhorruit, & in caſtris ciborum abundantia
euanuit. Illi qui uendere cibos ſolebāt, niuibus & glacie prohibēte, nullate
nus uenire ualebant. Curſores exercitus qui uſq; ad terrā Saracenorum
tranſcurrebant, nihil prorſus inueniebāt: quia omnes de toto terræ illius
confinio, aut longe fugerāt, aut in ſpeluncis, aut in cauernis petrarū delitu-
erant. Cumq; Armænij & Surani uidiſſent, in tanto diſcrimine famis no
ſtros eſſe poſitos, per nota loca gradiebant̄, ſollicite inquirētes, ſi quid in-
uenirēt, quod ad noſtros afferre ualerent. Sed apud tantos rarū erat, nec
tantæ multitudini ſuppetebat. Et ideo uendebat̄ aſinarū onus frumēti ſex
librarū pretio: ouum duodecim denarijs & una nux uno: ſed quid uniuerſa
percurram? Multi fame ibi perierunt, qui unde aliquid emerent nō habu
erunt. Cœpit itaq; oriri inter eos magna inconſtantia animorū, men
tis defectus, & totius bonæ ſpei diffidentia. Et quid mirum ſi pauperū, ſi
imbecilliū animi nutabant, cum illi qui uidebant̄ quaſi columnæ eſſe, defi
ciebant omnino? Petrus enim eremita, & Guillehelmus Carpentarius

nocturno

nocturno elapſu in fugam uerſi ſunt, & à ſacra fidelium dei ſocietate diſiuncti ſunt. De Guuillehelmo uero qui fuerit, dicamus: quoniam de Petro ſuperius mentionem fecimus. Guuillehelmus de regali proſapia ortus fuit, & uicecomes cuiuſdam regij caſtelli, quod Milidiniũ dicitur, olim extitit. Qui ideo Carpentarius cœpit cognominari, quia in bello nullus uolebat ei occurſari. Nulla enim lorica erat, galea uel clypeus, qui duros lanceæ illius ſiue mucronis ſuſtineret ictus. Vnde mirandum, & cum admiratione dolendum, quod in talem ac tantum uirum tanta mentis hebetudo inceſſerit, quod tam turpiter à caſtris uirorum illuſtrium receſſerir. Sed hoc nõ metu præliorum, ut ſperamus, fecit, ſed tantam famis iniuriam pati nequaquã didicerat. Quorũ fugam ut Tancradus miles fortis & integer animo cognouit, uehementer condolens, inſecutus eſt illos, & cõprehendit, & cum dedecore reuerti coëgit. & ad domũ Boamundi adduxit. Non dici poteſt quã paſſus ſit uerecundiam, qui nullo fugante inierat fugam. Dolebant plurimi qui eum agnouerant. Conuitiabant̃ omnes qui qualis extiterat ignorabant. Tandẽ multis laceſſitus iniurijs, pro reuerentia Hugonis magni, cuius conſanguineus erat, & quia iam cum ipſis in retroactis certaminibus honeſte pugnauerat, pacẽ obtinuit: ſed nunq̃ ſe amplius ita diſceſſurum coram omnibus iurauit. Sed tamen diu ſacramentum nõ cuſtodiuit: quia quàm cito potuit clam diſceſſit. Hanc itaq; famis aſperitatẽ, ut ſuos probaret, euenire permiſit deus, & ut terror eius fieret in uniuerſis nationibus. Nã & ſuos præmebat ieiunio: & uicinas nationes eorum diſterminabat gladiò. Cadebant mille à latere unius, & decem millia à dextris alterius. Et ideo nunquam eſt à domino tali deſperandum, quia quæcunq; agit, diligentibus ſe cooperantur in bonum. Ne ulli inſoleſcerent tot uictorijs bellorum, opprimebat eos graui inædia ieiuniorum. In toto nanq; exercitu mille equi inueniri non poterant, ad pugnandum idonei, ut per hoc innoteſceret quod in fortitudine equi non haberẽt fiduciam, ſed in deum per quem & quom̃odo uolebat, & quãdo uolebat, ſuperabant. Erat quidam miles in exercitu, nomine Tetigus, diues apud ſuos, & nominatiſſimus, in Romaniæ partibus bene notus: palliato nugacitatis tegmine uelatus. Hic uenit ad principes, & ait illis: Vt quid hic ita torpeſcimus? Quare quæ nobis ſunt profutura non quærimus? Si bonum uobis uidetur, ego in regionem Romaniæ pergã, & inde permittente imperatore copioſum commeatũ adducam: Naues onuſtas omnibus rebus, frumento, uino, oleo, hordeo, carne, farina, caſeis, per mare adduci faciã, & equos, mulos mulaſq; per terrã. Et ne ullam de me ſpem diffidentiæ habeatis, papiliones meos & omnia bona mea derelinquam: hoc ſolum excepto quod mecum feram. Et ſi adhuc mihi non creditis, iu-

Deus uult terrori eſſe.

rabo quod breui ad uos redibo. Principes mendacibus uerbis illius credentes, ſacramentum receperunt. Ipſe autem nec ſacramẽtum tenuit, nec uerborum ſponſionem retinuit. Hoc ideo de his duobus militibus refero, ut quiſq; percipiat quanta egeſtas in caſtris fuerit, quæ etiam fugere diuites, & periurare compellebat. Cum'q; iam ſic arctarẽtur, & omnis humana ſpes omnino deficeret, plurima pars exercitus retro eundi licentiam à principibus petierunt: & ipſi unanimiter flentes eis conceſſerunt. Vt quid enim retinerent, quos conſolari non poterant? Dum ſic ualide deſolatio pullularet in caſtris, & nullius ullum haberẽt conſilium, miſeratio diuina ſolitum eis præſtitit auxilium: Affuit nuncius qui innumera Turcorũ millia prope eſſe retulit: & in caſtro eis ꝓximo, nomine Areht, quod ſupra nominauimus, illa nocte aggregari aſſeruit. Qui ideo latenter & in magno ſilentio ueniebant, ut imparatos in caſtris inuenirent. Hoc dictũ cunctis innotuit, & quos ſomno pigritiæ torpentes inuenit, excitatos reddidit. Salit & tripudiat, qui antea ambulare nequibat: Reuixit ſpiritus illorum, quos ſopierat indigẽtia ciborum. Erectis in cœlum manibus deum laudant: & quaſi iam uicerint, manibus applaudunt. Malebant enim honeſte in bello mori, quàm eſcarum inopia cruciari. Tunc proceres exercitus acceperunt conſilium, ut pars una omnium in caſtris remaneret ad cuſtodiendum: pars altera obuiam uenientibus iret ad prælium. Qui de caſtris nocte egredientes, in inſidijs poſiti ſunt, prætereuntium præſtolantes occurſum, iacuerunt'q; inter flumẽ & lacum. Summo itaq; diluculo, aurora lumen terris deferente, miſerunt exploratores, qui illorum agmina uiderent, & quanta & ubi ſint renuntiarent. Exploratores renuntiant tot illorum millia collecta ſe nunquã uidiſſe: Et ex parte fluminis duas acies ſeparatas à multitudine equis uelocioribus accurrere. Tunc noſtri in quodam cliuo poſiti, crucis ſigno cum armis ſe præmuniunt, & manus in cœlum protendunt, deo'q; ſe committunt, eius'q; flagitant auxilium. Mox noſtri ſuperuenientes illos excipiũt, & quotquot obuiant ſolo proſternũt, Alij per campum diſperſi circumuolant, imbres'q; uenenatarum emittũt ſagittarum: Strident dentibus, & more canum latrant, quia terrere ſic ſuos aduerſarios conantur. Sed hæc noſtri irridebant: & protecti clypeis, loricis, galeis, eorum immiſſuras uilipendebant. Sed cum innumerabilis illorum multitudo appropiauit, cum tanto impetu noſtros inuaſerunt, ut nonnihil in fugam uerſi ſint. Quod ut uidit Boamũdus, qui poſtremo obſeruabat cuſtodiam, cum ſua acie prorupit in medium, ſocios'q; recolligens, inimicos perduxit ad interitũ. Illi nanq; ut uiderũt noſtrorum uexilla ſuper uertices ſuos dependentia, noſtros'q; more leonum rugientium, in medios

Ingẽs pugna.

in medios hoſtes circunferri, omnesq́ circa ſe laniari, pauent & conturbantur, uerſisq́ retro habenis equorum, ad pontem ferreum quàm celerrime recurrunt. Sternitur uia corporibus morientium, impletur aër uocibus eiulantium. Tellus madefacta cruore morientium, perforatur pedibus conculcantium equorum. Vt uenitur ad pontem ferreum, uia arctatur, & non omnes pons recepit, hinc quàm plures in flumē præcipitanter, & quos unda tenebat, celeri rotatu inuolutos abſorbebat. Plures occiſi ſunt, quàm uiui remanſerint. Qui euaſerunt, ad caſtrum ſuum quod ſuperius nominauimus cōfugerunt, ſed in eo non diu permanſerūt. Prædatum enim uacuum dimiſerunt, & fugientes abierunt. Noſtri uero illud accipiunt, & cuſtodes qui illud cuſtodirent, & pontem, poſuerunt. Armænij quoq́ & Surani fugientes inſecuti ſunt, & arcta loca anticipando multos occiderunt, pluresq́ captiuos detinuerūt, Sicq́ filij diaboli ſecundum ſuum meritū, de ruina in ruinam receperunt interitum. Noſtri uero cum gaudio ingenti ad caſtra remearunt, adducentes ſecum equos & mulos & mulas, & ſpolia plurima, & multa alia quæ indigentibus ſocijs ualde erant neceſſaria. Multorum etiam capita mortuorum ſimul attulerunt, quæ ante portam ciuitatis poſuerunt. Receperunt illos cum ſumma lætitia ſocij qui in caſtris erant, quiq́ tota die cum ciuibus qui egreſſi ſunt de urbe pugnauerant, palmamq́ uictoriæ reportarant. Tunc geminata lætitia duplicis uictoriæ feſtiuum tempus effecit: & eos qui ægeſtatis mœrore conſumpti penè erant refecit. Iam uero Armænij & Surani, uictū ad caſtra ferebant, & de felici noſtrorum euentu congaudebant. Sic illi de ciuitate egrediebantur, & inter ſaxa montium latitabant, inſidiabanturq́ illis qui uictum afferebant, & quotquot comprehendere poterant occidebant. Quod ualde triſtes reddidit proceres: & ſuper hoc conſiliū inierunt: remediumq́ huic calamitati repererunt. Caſtrum conſtruerūt ante portam ciuitatis, ſuper pontem iuxta Mahumariam, quod illos ualde perdomuit, quoniam deinceps nullus eorum exire per pontem auſus fuit. Et tunc quia caſtrenſes ad hoc peragendum opus non ſufficiebant, Boamundus & comes ſancti Egidij ad portum ſancti Symeonis perrexerūt, & inde operarios precio conductos ducere ſtuduerunt. Quos cum adducerent, Turcos qui nocte illa de ciuitate exierāt, in inſidijs poſitos inuenerūt, qui ſubitaneo incurſu tam fortiter noſtros inuaſerunt, ut illos qui equites erant abſque ulla certaminis reuerberatione in montana fugauerint. Pedites qui fugere non potuerunt, diram necem perpeſſi ſunt, ſed quanto fuit acrior, tanto & glorioſior. Et qui ibi mortui ſunt, ferè mille fuerunt, ſed occidentes diu gauiſi non ſunt.

Relatio enim huius occiſionis ad caſtra peruenit, tantosq́ principes proceresq́ commouit. Qui equis proſilientes ad ulciſcendam mortem ſuorum ordinatis agminibus peruolant, inueniuntq́ eos adhuc in campo, occiſorum capita detruncantes. Illi uero nequaquã perterriti, in ſua confidentes multitudine ad pugnam congrediuntur, ſed noſtris toto corde tota uirtute confidentibus postquã pedites noſtri equitibus cõſociati ſunt, in breui ſuperantur. Nam ut uiderunt illos quos ad montana fugere compulerant accurrere, noſtrorumq́ agmina fortiter creſcere, & creſcẽdo fortius inſiſtere, terga uertunt, & uerſus pontem fugæ uiam arripiunt. Sed ualde impediuit difficultas itineris anguſti, quia nec fugere uſquam poterant, nec conuerti. Reuerti retro fas non erat, quia hoſtis urgebat: dextra leuaq́ diuerti impoſſibilitas anguſti itineris prohibebat, currere uetabat denſa multitudo fugientis. Sicq́ diuino nutu contigerat, ut nec fugere, nec pugnare licuerit. Ibi Turcæ nec toxicata ſagitta proficiebat, nec equi uelocitas ſubueniebat. Ibi maiorem ſtragem pedites egerunt, quàm qui equis inſidebant: quoniã ſeriatim, ut falcator prata uel meſſem, detruncabant. Illic ſatiari potuiſſent enſes & tela aliarũ gentiũ Turcarũ ſanguine, ſed quia Francigenarum erant, nec obtundi poterant, nec repleri cruore. Noſtri tantum pugnabant, illi patiebant̃, noſtri percutiebãt, illi moriebantur. Nec tantum infatigata manus dilaniare poterat, quantum quot dilaniaret reperiebat. Inter uiuos mortui ſtabant, quia ſuffulti denſitate uiuorum cadere non poterant. Eorũ calamitati & cladi nulla conferri poteſt. Tantus illos timor inuaſerat, ut ſubſequens præcedentem obruerit.

Dux itaq; Gothefridus militiæ decus egregium, ut uidit, quod nemo illos ferire potuit, niſi poſt dorſum, equo celeri uolitans anticipauit pontis introitum. Et nulla lingua ualet explicare, quantas ſtrages dux ſolus illic dederit. Illi fugere cœperant, armáque ſua in terram proiecerant, gladium ducis ut mortem expaueſcebant, & tamen uitare non poterant. Ille exertis brachijs, enſe nudato, eorum ceruices amputabat, illi minime renitentes, nuda corpora inuiti offerebant. Ibi ira, locus, gladius, ualidáque manus pugnabat, & hoc totum in membris miſerorum redundabat. Cumq́ unus ex eis audatior cæteris, & mole corporis præſtantior & uiribus, ut alter Golias, robuſtior, uideret ducem ſic immiſericorditer in ſuos ſæuientem, ſanguineis calcaribus urget equum aduerſus illum & mucrone in altum ſublato, totum ſuper uerticem ducis tranſuerberat ſcutum. Et niſi ictui umbonem dux expandiſſet, & ſe in alteram partem inclinaſſet, mortis debitum perſoluiſſet. Sed deus militem ſuũ cuſtodiuit, eumq́ ſcuto ſuæ defenſionis muniuit. Dux ira ſuccenſus uehementi, parat rependere uicem, eiusq; tali modo appetit ceruicem.

Enſem

Enſem eleuat, eúq; à ſiniſtra parte ſcapularũ tanta uirtute intorſit, ut pectus medium diſiunxerit, ſpinam & uitalia diſrupit, & ſic lubricus enſis ſuper crus dextrum integer exiuit, ſicq; caput integrum cum dextra parte corporis immerſit gurgiti, partemq; quæ equo inſidebat remiſit ciuitati. Ad quod horrendũ ſpectaculum omnes qui in ciuitate erant cõfluunt, & uidentes ſic admirati ſunt, cõturbati ſunt, commoti ſunt, tremor apprehendit eos. Ibi dolores ut parturientis, ibi uoces eiulãtium, quia ille unus fuit ex præcipuis eorũ. Tunc euaginauerunt gladios ſuos, intenderunt arcus ſuos, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, ut ſagittarent ducem: cupientes ſi eis permiſſum eſſet, tantam militiæ Chriſtianæ extinguere lucem. Sed deus eorum prauæ uoluntati non conſenſit, quia dux retroceſſit. Suſtinere enim telorum ac ſagittarum grandinem diu non potuit. O prædicabilis, ô inuicta ducis dextera, & animoſi pectoris robur eximium. Laudandus & enſis, quod in ſua integritate perſeuerans, uibranti dexteræ ſui famulatus impendit obſequium. Et cuius cor eructare, cuius lingua enarrare, cuius manus ſcribere, quæ pagina ualet ſuſcipere aliorum facta principum, qui illi compares fuerunt in omnibus uictorijs præliorum. Victoria ducis præ cæteris enituit, quoniam pars dimidiati corporis quæ remanſit, teſtimonium laudis fuit. Fluctus uero qui eorum occiſorum corpora abſorbuit, aliorum ictus mirabiles occuluit. Sed ſicut uentus turbinis annoſæ arboris conſtringit brachia, ſic inciſa cadebant morientium membrã. In hoc prælio perſecutus eſt unus mille, & duo fugauerunt decem millia. Qui in flumen rapido ſe curſu immergebant, ẽmergentes pontis ligneas columnas amplexabant: ſed noſtri deſuper illos lanceis perforabant & perimebant. Cruor effuſus ſanguineum flumini dabat colorem, cunctiſq; cernentibus magnum incutiebat horrorem. Quippe denſitas corporum fluminis impediebat curſum, & retrogradu inceſſu ire cogebat retrorſum. Et quid mirum? Super pontem etenim quinq; millia proſtrata fuerunt, quæ omnia deorſum in aquam præcipitata ſunt. Et quis numerare potuit, quot mucro deſæuiens præcipiti ſaltu in amnem mergi compulit? In illo conflictu occiſus eſt Caſſiani magni regis Antiochiæ filius, & duodecim Admiraldi regis Babyloniæ, quos cum ſuis exercitibus miſerat ad ferenda auxilia regi Antiochiæ. Et quos Admiraldos uocant, reges ſunt, qui prouincijs regionũ præſunt. Prouincia quidem quæ unum habet Metropolitanum, duodecim conſules & unum regem. Et tot itaq; prouincijs cõuenerunt, quot ibi Admiraldi fuerunt mortui. Et qui ibi capti ſunt, pro ſeptem millibus computati ſunt. Veſtium, armorum, cæteriq; cultus adparatum nemo ulla oratione explicare ſatis pro dignitate poteſt. Sic itaque ſuperati ſunt Turci magnanimiter à Francis, ſiluitq; deinceps garrula uox eorum, atq; ſtridor

dentium

dentium, & quotidianorũ procacitas conuitiorum. Iam uero demiſſis uultibus ibant, & pleriq; omnino diffidentes, furtim de ciuitate exeuntes, fugiebant. Nox ſuperueniens litem diremit, & noſtri uictores ad caſtra redierunt: illi uero obſeratis ianuis, intra urbem ſe receperunt. In craſtinum ut primum lux matutina proceſſit, Turci de ciuitate exierunt, & collegerunt corpora mortuorum, quot inuenire potuerunt, & ſepulturæ tradiderunt. Quod Chriſtiani exercitus iuuenes ut audierũt, multi in unũ conglobati ad cimiterium cucurrerunt, & quæ illi cum magno honore ſepelierant, cum magno dedecore foras proiecerunt. Plurima palliȷs inuoluerant, & multos aureos, arma, arcus, & ſagittas & alia multa cum eis repoſuerant. Sic enim eſt eorum conſuetudo ſepelire: noſtrorum uero eſt libentiſſime ea tollere: Extractis itaq; corporibus uniuerſis, capita abſciderunt, ſcire cupientes numerũ illorum qui ad ripam fluminis necati ſunt. Truncata ſiquidem capita ad caſtra attulerunt, & cadauera feris & uolucribus inhumata reliquerunt. Quod ab altis mœnibus & turribus excelſis proſpicientes, uehementer indoluerũt & genas ſcindentes & crines uellentes, ſua fruſtra idola inuocãtes, quibus deus exercituũ uirtute reſiſtit.

Turci multa præcioſa cum cadaueribus terræ ſolent cõmittere.

ROBERTI MONACHI DE CHRISTIANORVM PRINCIPVM BELLO CONTRA TVRCAS,

Liber quintus.

CVMQVE ſic diu dubiȷ martis fortuna uariaret, præambulus quidã aduenit, qui nuntios principis Babyloniæ in craſtinum prædicabat aduenire, & à principibus caſtrorum fiduciam quærit ueniendi ſecure: Qui libenter annuunt, ſeq; eorum ſuſceptioni ſollenniter præparãt. Tentoria uariȷs ornamentorum generibus uenuſtantur: terræ infixis ſudibus ſcuta apponuntur, quibus ludus equeſtris exerceant, magnifice omnia ordinãtur, ueloces curſus equorum flexis in girum frenis non defuerunt, & militares impetus haſtarũ uibrationes ibi celebratæ ſunt. In quibus actibus monſtrabatur, quod nullo pauore trepidabãt, qui talia operabãtur. Talia quippe iuuentus excelabat: ſed ætate ſenſuſq; ſeniores in unum conſederant, cauſasq; conſiliȷ & prudentiæ conferebant. Interim Babylonienſes nunciȷ cum appropinquarẽt, tantosq; tanto gaudio trepidantes conſpicarentur, mirati ſunt: quoniã relatio uſq; Babyloniam cucurrerat, quod & fame & pauore excruciarent. Adducti igitur ante principes ſunt, & in hæc uerba retulerunt, quæ eis cõmiſſa ſunt. Dominus noſter

Legatorum oratio.

noſter Admiraldus Babyloniæ, mandat uobis Francorum principibus ſa lutem & amicitiam, ſi eius uoluntati uultis obedire. In aula regis Perſa/ rum dominiq́ noſtri, magnus ueſtri cauſa congregatus eſt conuentus, ſeptemq́ diebus conſulerunt, quid nam eis ſuper hoc ſit agendum. Miran tur enim cur ſic armati quæratis domini ueſtri ſepulchrum, gentem eo/ rum à finibus diu poſſeſſis exterminantes, imò, quod nefarium eſt peregri nis, in ore gladij trucidantes. Quod ſi poſthac in pera & baculo uultis ire, cum honore maximo rerumq́ opulentia uos illuc facient pertranſire: De peditibus equites faciēt: qui pauperes ſunt, in toto itinere nec in reditu am plius eſurient. Et ſi per menſem ad ſepulchrum uobis diurnare placuerit, bonorum copia uobis nō deerit: facultas eundi per uniuerſam Hieruſalē uobis concedetur, ut quo honore placuerit, & templum & ſepulchrum quilibet ueneretur. Quod ſi hæc uobis indulta contemnitis, & in animo/ rum ueſtrorum magnitudine confiditis, & armis uidendum uobis eſt eti am atq; etiam quanto periculo uos exponatis, apud nos certe ducimus eſſe temerariū, quod ulla, quantumuis magna, humana poteſtas cōgraſ/ ſetur contra Babylonios, regemq́ Perſarum. Iam uero quæ ſit ſententia ueſtra ſuper his nobis aperite. Adhæc cōmunis ſententia principum re/ ſpondit, dicēs: Nulli ſapienti mirandum eſt, ſi ad domini noſtri ſepulchrū cum armis uenimus, gentemq́ ueſtram ab iſtis finibus eijcimus. Quoni am quicunq; de noſtris huc uſq; in baculo & pera uenire ſoliti erāt, turpi lu dibrio affecti ſunt, & ignominiam contumeliarum tolerantes, ad extre/ mum perimebantur. Terra autem gentis illorum non eſt, licet diu poſ/ ſederint, quia noſtrorum à priſcis temporibus fuit, eiſq́ propter maliti/ am iniuſtitiamq́ ueſtra gens aduerſa abſtulit. Quæ tamen ideo ueſtra non debet eſſe, quia diu eam tenuiſtis. Cœleſti enim cenſura nunc decre/ tum eſt, ut miſericorditer reddatur filijs, quod iuſte patribus ablatū eſt. Ne glorietur gens ueſtra quia ſuperauerit effœminatam gentem Græco rum: quoniam diuina ſuffragante potentia, in ceruicibus ueſtris meritū recompenſabitur gladio Francorum. Et notum eſſe poterit, his qui igno/ rant, quod non eſt hominum euertere regna, ſed eius per quem reges re/ gnant. Ipſi dicunt ſe uelle nobis indulgere, ſi in pera & baculo poſt hac ueli mus tranſire: nihil opus nobis eſt eorum miſericordia, quoniā uelint no/ lint, theſauris eorum noſtra ditabitur: & replebitur inopia. Hieruſalem cum nobis à deo conceſſa ſit, quis præualet auferre eam? Nulla uirtus eſt humana quæ nobis ullo modo terrorem incutiat, quia cum morimur na ſcimur, cum uitam amittimus temporalem, recuperamus ſempiternā. Idcirco renuntiāte his qui miſerunt uos: quod arma quæ in patria noſtra ſumpſimus, & cum capta erit Hieruſalem non dimittemus. Confidimus enim in eo qui docet manus noſtras ad prælium, & brachia noſtra ponit

ut arcum æreum. Quoniã & uia noſtris gladijs aperietur,& omnia ſcandala eradicabuntur,& Hieruſalem capietur. Tunc noſtra erit nõ per hominis indulgentiam,ſed per cœleſtis cenſuræ æquitatẽ. De uultu enim domini hoc iudicium prodijt,quia Hieruſalem noſtra erit. Legati uero quid ultra prætenderent nõ inuenerunt,ſed audito hoc uerbo ſcandalizati ſunt: Antiochiamq́ꝫ noſtris conſentientibus introierũt. His ita peractis, tertia die poſt peractum prælium,caſtellum cœperunt ædificare: de quo ſuperius mentionem fecimus,conſtructum in introitu pontis,ad Mahumariam ſcilicet, in loco cimiterij ante ianuam ciuitatis. Deſtruxerunt autem omnes tumulos lapideos mortuorum, & ex illis caſtrum munierunt. Quod cum peractũ fuit, commendatum eſt Raimundo egregio comiti ſancti Egidij. Hoc factũ ualde coſtrinxerũt eos qui in ciuitate erãt,quoniam ulterius ab illa parte nõ ualuerunt exire. Noſtri uero iam ſecure ibãt, quocunqꝫ ire diſponebãt. Tunc proceres elegerũt uiros optimos equosq́ꝫ uelociores:& non longe ab urbe tranſierunt fluuium, & prædam maximam inuenerunt,equos, equas,mulos & mulas,aſinos & camelos,& animalium quinqꝫ millia. Omnia hæc egregia cohors adduxit ad caſtra,& celebrata eſt apud Chriſtocolas lætitia magna. Quod infortunium ciues uehementer attriuit: quoniã abundantia rerum quæ noſtros roborauit, perdita,illos debilitauit. Illic uero ubi præda capta fuit,erat antiquum caſtrum, ſed incuria & uetuſtate dirutum: & adhuc uigebat ibi quoddam monaſterium. Quod proceribus placuit reædificare, & forti munitione circundare. Quod cum in breui paratum fuit,inquiſitio facta eſt,quis illud cuſtodiret. Et dum tractaretur de cuſtodia, plurima in uentum procederent uerba: Tancradus illuſtris princeps & egregius iuuenis, ſicut erat alacer in ſermonibus & factis,in medium proſiluit,dicens: Ego cuſtodiam caſtellum,ſi cuſtodiæ meæ dignum recõpenſabitur meritum. Pretium ergo omnes in commune taxauerũt,& quadringẽtas argenti marcas ei cõtulerunt. Tancradus caſtellum intrauit, eumq́ꝫ peditum turmis fortiq́ꝫ milite plus quã munitionem aliam firmauit. Quod fideliter,deo opitulãte,ſuſcepit: quoniã ipſa die magnus Armænionum populus,& Suraniorum,ad ciuitatem ueniebat,& urbanis cõmeatum non contemnendum afferebat. Quos omnes in inſidijs poſitus Tancradus apprehendit: nec tamẽ eos quia Chriſtiani erant occidere uoluit, ſed cũ ipſis ſarcinis ad caſtrum ſuum conduxit. Quos tandem tali conditione illeſos abire permiſit: quia dederunt fidem,ſe allaturos Chriſtianis pro mediocri pretio neceſſaria, quo uſqꝫ caperetur Antiochia. Quod illi ſtrenue impleuerunt, ſicut & ſpoponderũt. Tancradus uero uias ac ſemitas obſtruxerat,his qui erãt in ciuitate,quod nullus audebat exire. Propterea pacis inducias quæſierunt,dicẽtes, quod illo temporis interuallo apud ſe tractarent, qua lege,

qua

qua conditione, ſe & ciuitatem Chriſtianis darent. Crediderunt principes, & diſpoſitis pactionibus, & tempore conſtituto, tenendæ pacis ſacramenta dederunt & acceperunt. Portæ ciuitatis aperiuntur, & eundi inuicem alteri ad alterum facultas conceditur. Tunc libere Franci per circuitum murorum ibant, & ad propugnacula cum ipſis ciuibus ſtabant, & ciues cum gaudio ad caſtra ueniebant. Proceſſu deniq; temporis, cum iam ſuprema dies induciarum adueniſſet, Vualo quidam miles Chriſtianus, & in armis egregius, & inter præcipuos nominatiſſimus: hic perfidæ genti nimium credulus, quadam die per uirgulta eorum ſpaciabatur, & locorum amœnitate oculos paſcebat. Hunc, ut inermē uirum, armati canes aggreſſi ſunt, & membratim diuiſum, miſerabili cruciatu diſcerpſerunt. Heu morte Vualonis, pax infringitur, data fidei ſacramenta uiolantur, portæ iterum urbis obſtruunt: & perfidi gentiles inter mœnium turriumq; ſuarum cauernas recluduntur. Luctus in caſtris permaximus habetur, quoniam ab omnibus uiris ac mulieribus mors Vualonis crebris ſingultibus lamentatur. Coniunx uero illius uniuerſos ad lacrymas concitabat, quæ ſe ultra morem aliarum miſerabiliter laniabat. Et quæ alios ad luctum cōmouebat, propter crebra ſuſpiria, ſingultuſq; nec loqui nec clamare poterat. Erat autem illa alto procerum ſanguine procreata, & ſecundum carnis huius infirmitatem, forma præ cæteris egregia. Erat autem plerunq; immobilis uelut columna marmorea, ita ut ſæpius mortua putaretur, niſi uitalis calor palpitans in ſupremo pectore ſentiretur. Sed & adhuc pulſitabat uena latens ſub cute minime piloſa. Cum uero reſpirabat, oblita fœminei pudoris ſe in terram uolutabat, & genas unguibus ſecans, aureos crines diſrumpebat. Occurrūt aliæ matronæ, quæ de ſe illi facere talia prohibent, & pia cuſtodia obſeruant. Quæ cum loqui potuit, in hæc uerba prorupit, dicens: Rex in perſonis trinus miſerere Vualonis: Et uitæ munus ei confer, ut es deus unus. Quid meruit Vualo, quod non mortuus eſt potius in acie? Virgine matre ſate, Vualonis terge reatus. Quem de bellorum tot caſibus eripuiſti: Et permiſiſti nūc tādem occidi. Heu quantum uidere deſiderabat tuum ſepulchrum, pro quo contempſit omnia ſua & ſeipſum. Quo infelici infortunio defuit ei enſis qui ſic conueniebat lateri eius: O me ſaltem felicem ſi licuiſſet mihi in ſupremo ſpiritu oculos claudere, uulnera lacrymis abluere, & manibus ueſteq; detergere, & dulcia ſepulchro membra committere. His quæſtibus Euuardus frater eius interuenit, & in quantum admiſit uis doloris compeſcuit. Illud ſanè prætereundum non eſt, quod ante mortem uiri iſtius contigit, dum tempus induciarum integrum & fidele manſit. Erat quidam Admiraldus de genere Turcarum in illa ciuitate regia, cum quo Boamundus plurima & priuata pacis tēpore habuit colloquia: Hic inter cætera quo-

Induciarum pax uiolatur.

Amor mulieris erga ſuum maritum.

dam die requiſiuit ab eo: ubi nam caſtra poſuerit ille candidatorum exercitus innumerabilis, quorum in omnibus bellis fulciebantur auxilio. Dicebat enim quod aduentum illorum nunquam potuerint ſuſtinere, ſed ſtatim ut uiderint illos, incipere ſe pauere. Cui Boamundus ait: Putas ne aliũ exercitum eſſe quàm hũc quem uides noſtrum. Cui ille: Per Mathomum meum præceptorem iuro: quoniam ſi hic adeſſet, tota hæc planicies illos non caperet. Omnes habent equos albos, miræ celeritatis, & ueſtimenta, & ſcuta, & uexila, eiuſdem coloris. Sed forſitan ideo abſconduntur, ne uirtus ueſtra nobis manifeſtetur. Sed per fidem, quam habes in Ieſum, ubi caſtra eorum locata ſint, oſtende quæſo. Boamũdus itaq; ſpiritu dei illuſtratus, illico ſenſit hanc quàm uiderat uiſionem dei eſſe, nec quod quærebat, ex tentatione, ſed ex bona uoluntate procedere. & reſpondens, inquit: Licet ſis extraneus à lege noſtra, quia uideo te bona erga nos uoluntate, bonorum'q; ſpiritu animatum, aperiam tibi aliquod fidei noſtræ ſacramentum. Si tantum profundi intellectus haberes, gratias creatori omniũ referre deberes, qui tibi oſtendit exercitum candidatorũ. Et ſcias quia in terra non cõuerſantur, ſed in ſupernis manſionibus regni cœlorum. Hi ſunt qui pro fide Chriſti martyrium ſuſtinuerunt, & in omni terra cõtra incredulos dimicauerunt. Horum præcipui ſunt ſigniferi, Georgius, Demetrius, Mauricius, qui in hac temporali uita militaria arma geſtauerunt, & pro Chriſtiana fide fortiter pugnauerunt. Hi quotiens nobis expedit, iubente domino Ieſu Chriſto, nobis ſuffragantur, & per hos inimici noſtri præcipitantur. Et ut me uerum cognoſcas profiteri, inquire & hodie & cras, & in die altera an in tota regione hac eorum caſtra poterunt inueniri. Quod ſi inueniuntur, redarguti in conſpectu tuo à mendatio erubeſcemus. Et cum in tota regiõe nequiueris illos inuenire, ſi nobis neceſſe erit, in craſtinum uidebis adeſſe. Vnde igitur tam cito ueniunt? niſi á ſupernis ſedibus in quibus morantur. Cui reſpondit Pyrrhus, ſic enim erat nomẽ eius. Et ſi de cœlo ueniunt, ubi tot albos equos, tot ſcuta, tot uexilla inueniuntur? Cui Boamũdus. Tu magna & ſuper ſenſum meum requiris. Propterea ſi uis accedat præsbyter meus. Ad hæc præsbyter. Cum omnipotens creator angelos ſuos, ſiue iuſtorum ſpiritus, mittere diſponit in terram, tunc aſſumũt ſibi aëria corpora, ut per ea nobis innoteſcãt, qui uideri nõ poſſunt in ſpiritali eſſentia ſua. Ideo armati nũc apparẽt, ut q̃d in bello laboraturis auxilio ueniunt, indicent. Si enim ut peregrini uel ut ſacerdotes ſtolis de albati apparerẽt, non bellũ, ſed pacem nuntiarent. Expleto ſiquidem negotio pro quo ueniũt, ad cœleſtia remeant unde uenerunt, & corpora quæ, ut uiſibiles apparerent, acceperũt, in eandem reponunt materiam quàm ſumpſerunt. Ne mireris, ſi omnipotẽs creator omniũ tranſmutat materiã à ſe factã, in quamlibet ſpeciem, qui uniuerſa de nihilo ad-

duxerit

duxerit in eſſentiam. Et Pyrrhus ad hæc ait: Per ipſum quem aſſeris creatorē mira dicis, & rationabilia, nobisq́ hactenus inaudita. His Boamundus adiecit & ait: O Pyrrhe nonne tibi uidet̃ magnũ eſſe miraculũ, quod per nos operat̃ dominus Ieſus Chriſtus, in quē credimus, quia quãto nos pauciores ſumus, tanto & fortiores, uos uero quãto numeroſiores tanto imbecilliores: Cui hãc uirtutē attribuis, humanitati an diuinitati: Homo non eſt à ſeipſo, ſed à creatore ſuo: à quo habet eſſe, habet & poſſe. Et hoc igit̃ cõijcere potes, quod licet unus creauerit nos & uos creator, uberiorē tamē ſuæ uirtutis præſtat abundantiã nobis quã uobis. Certi quippe inillius uirtute ſumus, quia nõ ſolũ Antiochiã, uerum etiã Romaniã totam, & Syriã, ipſam & Hieruſalē obtinebimus. Quia hoc promiſit dei filius omnipotēs Ieſus. Pyrrhus quippe hæc & cõſimilia dicta Boamũdi prudenter intellexit, ipſumq́ uehemēter Boamũdus ſuo amori illexit. Cumq́ contigiſſet, inimico humani generis ſuadēte, quod ſuperius dictũ eſt de Vualone, Pyrrhus cum ſuo Boamundo loqui amplius nõ ualuit, ſed tamen occulte per internuntiũ hæc ei ſignificauit. Noui te nobilem uirũ, atq́ fidelem Chriſtianũ, cõmendo me tuæ fidei & meam domũ. Faciam tibi quæ me facere hortatus es. Tres turres quas in Antiochia cuſtodio tibi tradã, & unam de portis, tibi tuæq́ genti Chriſtianæ. Et ne friuolũ illud eſſe credas, & ne de mea fide diffidas, mitto filium meũ tibi quē unice unicum diligo, eumq́ ſicut & me ipſum tuæ fidei cõmitto. Quibus uiſis & auditis, Boamundus magno affectus eſt gaudio, magnaq́ in eo apud deum excreuit deuotio. Lacrymæ ab oculis uberes erumpũt, & deo gratias agens manus in cœlũ tetendit: Nec mora, principes in unum cõuocauit, eisq́ talia intulit, dicēs: Egregij principes & uiri bellatores, compertũ eſt uobis quantum iniuriarũ paſſi ſumus in hac obſidione, quantaq́ patimur, & quàm diu uoluerit deus patiamur. Si deus alicui hãc ciuitatē ꝑ aliquod ingeniũ dare uellet, dicite, an ueſtra autoritas, ei eam concederet. Ad hæc multi exclamauerũt in unũ dicentes: Nos ſimul eam habebimus, quoniã ſimul anguſtias neceſſitatum tolerauimus. Tunc Boamũdus modicum ſubridēs, ait: Ve ciuitati quæ tot dominis ſubiecta erit. Nolite fratres ea dicere, ſed eius imperio ſubijciat̃, qui eã poterit adquirere: Qui ut uidit quia nil ꝓficiebat ad caſtra ſua redijt, & tamē nuntios Pyrrhi qui ad ſe uenerãt detinuit. Principes uero amoto Boamũdo, conſiliũ inierũt dicētes: Nos bonũ conſiliũ nõ habemus, q uerbis Boamũdi uiri ſapiētiſſimi cõtra imus. Si à primo die q̃ huc uenimus, hoc fieri potuiſſet, magnũ nobis commodũ inde ꝓueniſſet. Nullus noſtrũ ꝑpter ambitionē urbis Antiochiæ de terra ſua exiuit: eã habeat cui deus dare uoluerit. Noſtra oĩm una ſit intētio, ſancti ſcilicet ſepulchri liberatio. Placuit oĩbus. Boamũdus uocat̃, eiq́ Antiochiæ ſi eã adq̃rere põt beniuole ab oĩbus cõcedit̃. Boamũdus itaq́ haud ſegnis

uiros ſibi fideles, noctis crepuſculo, remittit ad amicum, ut ei renunti-et & modum & terminū. Pyrrhus remandat ut in craſtinum commoueatur exercitus Francorū, quaſi ire uelit ad prædandum in terram Saracenorum. Et cum nox obſcurare cœperit, reuertantur ad caſtra ex parte ciuitatis, in qua ipſe erectis (inquit) excubabo auribus in turribus meis. Prope murum parati ueniant & nihil prorſus timeant. Credidit hoc conſiliū Boamūdus quibuſdam ſuis familiaribus Hugoni magno, & duci Gothefrido, Podienſi epiſcopo, & comiti Raimundo. Dixit itaq; eis: Nocte uentura diuina opitulante gratia, tradet̄ nobis Antiochia, expoſuitq; eis nuntium. Qui auditis omnibus, gratulati ſunt, & benedixerunt dominum. In craſtinum congregauerunt duces bellatorum, ingentem militum cuneos, peditumq́; quàm plures turmas, & egreſſi montana tranſierunt, quaſi in terram Saracenorum prædaturi. Nocte adueniente cum ſummo ſilentio redierunt, ſeq́; bonæ ſpei præparauerūt. Boamundus uero ad locū ſibi ab amico deſtinatum perrexit cum ſuis tantum militibus & cum paucis longe remanſit à mœnibus, cæteroſq́; cum una ſcala direxūt ad ipſa mœnia, quæ erecta ptingere potuit ad propugnacula. Quæ cum erecta fuit, ex tanta multitudine nullus prior aſcendere præſumpſit. Cumq́; omnes ſic hæſitarēt, tunc unus miles, nomine Fulgerius Carnotenſis natione, audatior cæteris, ait: Ego in nomine Ieſu Chriſti primus aſcendam, ad quodcunq; me deus uocauerit ſuſcipiendum, ſiue ad martyrium, ſeu ad obtinendum uictoriæ brauium. Quo aſcendente cæteri ſubſequuntur: & in breui ad ipſa murorum faſtigia peruenitur. Pyrrhus autem ſtabat illic, præſtolans eorum aduentum, & ægreferens nimiam tarditatem. Qui cum Boamūdum minime uidet, inquiſiuit ubi eſſet. Qui & in proximo adeſſe dicit̄, ſed Pyrrhus de abſentia uehemēter contriſtatus eſt, dicens. Quid facit ille piger? quid tardat, quidúe moratur? Mittite qui dicat, quo citius ueniat. Mittite qui dicat, quod lux appropinquat, & crebri cantus gallorum præſignant adeſſe diem. Nuntius eligitur qui nuntiet hæc Boamundo: quod ut audiuit, feſtinus accurrit, ſed cum ad ſcalam peruenit, fractam inuenit. Interea Fulgerius qui cum ſexaginta iuuenibus armatis aſcēderat, acceptis turribus Pyrrhi, tres alias bellica uirtute occupauerat, & in eis duos fratres Pyrrhi interemerat. Quod licet Pyrrhus nō ignoraret, tamē à promiſſo fidei pacto nō receſſit, ſed ut audiuit quod ſcala fracta eſſet, uenienti Boamūdo & omni Francorū multitudini portas aperuit. Et cum graues gemitus ab imo pectore traheret, longaq́; ſuſpiria, nulla tamen eum à promiſſa fide illata reuocauit iniuria. Quem Boamundus in ipſo portæ introitu ſummiſſo capite ſalutauit, atque de collato beneficio gratias egit. Sed cum cauſam lamentationis eius didiciſſet, admodum indoluit: & de militibus ſuis qui eum cuſtodirent

Quomodo prodita ſit Antiochia.

rent

rent, reſq́ eius, fidelem cuſtodiam dereliquit. Nec reticendum, quoniam ſub illa nocte, cometa quæ regni mutationem præſignat, inter alia cœli ſydera rutilabat, & ſuæ lucis radios producebat, & inter ſeptentrionem & orientem, igneus rubor in cœlo coruſcabat. His euidentibus ſignis in cœlo radiantibus, & aurora terris lucem referente, exercitus dei portas Antiochiæ intrauit, in uirtute illius qui inferni portas æreas contriuit, & ferreos uectes confregit, cuius poteſtas permanet in ſecula ſeculorũ Amẽ.

Roberti Monachi quinti libri finis.

ROBERTI MONACHI DE CHRISTIANORVM PRINCIPVM BELLO CONTRA TVRCAS, Liber ſextus.

VNIVERSI fideles huius Pyrrhi fidem attendite, & attendentes, ſi quid ex fide per fidem promittitis, abſq́ ulla contradictione perficite. Nulla hic memoria fraternæ mortis, nulla uis doloris, nulla inſtigatio mœroris auertere potuit à promiſſa fidei ſtabilitate, magiſq́ ualuit apud ipſum fidei pactio, quã duorum germanorum diri cruciatus interemptio. Et ſi illud antiquum problema Samſonis in medium uolumus adducere, huic æquipollẽs poſſumus proponere. Samſon ait: De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo. Nunc uero de infideli ꝓceſſit fides, & de extraneo familiaris & integra dilectio. At ne faſtidioſam uideamur facere digreſſionem ad inceptam redeamus hiſtoriæ propoſitionem. Quarto nonas Iunij Chriſtiani urbem Antiochiæ introierũt, & in ore gladij de ſuis eam inuaſoribus uindicauerũt. Fulgerius & alij complices qui cum eo muros aſcenderãt, turres undiq; inuadebãt, & incautos uigiles ſomnoq́ ſolutos, ſpiculis gladijſq́ confodiebãt, & de ſummo illorum faſtigio ad terram proijciebant. Qui in domibus ſopiebant ſonitu clamoris excitati, ſcire geſtientes quid hoc eſſet, cum foris exirẽt nõ reuertebant, quoniã gladios inueniebãt paratos quibus excipiebant. Qui Chriſtiani erãt Kirie eleiſon, & alias deo laudes ꝓſonabant, ut ꝑ hoc ſcilicet noſtris innoteſcerẽt, quod nõ Turci ſed Chriſtiani eſſent. Paſſim ſternunt plateæ ciuitatis corporibus morientiũ, quoniam tunc nullus eorũ reſiſtebat, ſed quærebãt omnes latibula & fugæ præſidiũ. Nulli honor impendit, pueri cũ puellis, iuuenes cũ ſenibus, ſenes cũ iuuenibus, matres quoq; cũ filiabus interficiunt. Qui fugere poterãt per portas exibãt, mortem

Crudelitas Chriſtianorũ militum.

mortem tamen minime euadentes, quia in manus de caſtris uenientium incidebant. Contigit autem ut inter fugientes Caſſianus rex & dominus ciuitatis, uilibus pannis obſitus euaderet, & in terram Tancradi fugiēdo perueniret. Sed malo ſui infortunio Armænij eum cognouerant, & ei illico ceruicem amputauerunt, & caput illius ad principes attulerunt. Pars magna fugit in caſtrum quod ciuitati imminet: quod ita loci poſitione & natura munitum eſt, ut nullius machinæ artificium timeat. Illic enim eſt mons urbi contiguus, cuius cacumen porrigitur ad ſydera, quò uix peruenire poſſunt intuentium lumina. Et de ipſo poteſt circūſpici tota regio. In eum confugit numeroſa multitudo Turcarum, habueruntq́ illud ſolum receptaculum. Erat autem huic caſtro una turris nimium uicina, quàm Boamundus cum ſuis ſatellibus iam obtinebat, illudq́ caſtrum per eam impugnare parabat. Sed illi reſumptis uiribus, turri eminentiores, ſagittas & ſpicula, inſtar grādinis, deſup immittunt, ita ut noſtris minime licuerit contra eos pugnare, ſed ſe clypeis cooperire, & armis defendere cogebantur. Locus enim arctus angebat, & hoſtis deſuper opprimebat: quia non erat alia uia decertantium, qua præſtabat latitudo murorum. Propterea cōtigit quod Turcos irruentes contra turrim, unus impellebat alium, nec retroire erat facultas, nec in leua nec in dextra ulli erat diuortiū. In quo conflictu Boamundus grauiter ſagittatus eſt in femore, nec iam niſi claudicās ualebat incedere: Sanguis ubertim de uulnere cœpit ſtillare, & cor nobiliſſimi principis à uirtute priſtina cœpit deficere. Qui nolēs & inuitus, in aliam turrim retroceſſit, bellumq́ dereliquit. In eius infirmitate aliorum uirtus corruit, quoniam unuſquiſq; miſerabilem caſum ſui ducis admodum doluit. Pugnam dimittunt, Turcis turrim relinquūt. Vnus tamen in ſuperiori turris faſtigio remanſit, cuius egregia funera uniuerſus noſtrorum exercitus unanimiter planxit. Ille enim ut uidit ſe ſolum eſſe derelictum, tamen in ſe animum gerens inuictum, ut urſus inter moloſos cœpit ſe ut ut potuit defendere, lapideſq; & cementū de parietibus auellebat, & ſuper ipſos qui eum impugnabant proijciebat. Tandem mille ſagittis onuſtus, ut uidit quod mortem nō euadere poſſet, mortem ſibi accelerauit, quoniam cum clypeo & armis ubi turbam denſiorem eſſe conſpexit, in medium proſiluit, ſuiſq́ interfectoribus tormentum fuit. Non eſt lingua carnis quæ ſatis ualeat enarrare, Francorum ingētia facta & niſi caſtellum municipium tam forte fuiſſet, ipſo die calamitatibus ſuorum magnum leuamen dominus præſtitiſſet. Sed uoluit deus ut urbs Antiochena difficulter adipiſceretur, ut adepta carior haberetur. Citius enim adquiſita uileſcunt, diu deſyderata carnis, amplectimur. Nox interueniens litem diremit, & diurno labori contulit moderamē, quia pugnæ ademit neceſſitatem, ſed feſſis dormiendi non tribuit facultatē. Vbi enim

Inuicti animi exemplum.

prope

prope hoſtis adeſt, nulla requieſcēdi facultas eſſe poteſt. In craſtinum alij ſpoliata cadauera mortuorū extra muros foris trahebāt, alij de turribus cum caſtellanis, iaculis & ſagittis decertabant. Cumq; ſic res agitur, ecce illi qui ſtabant in turribus & muris, eminus contemplantur immenſam nubem agitati pulueris. De qua diuerſa ſentientes, alij dicebant: Conſtantinopolitanum imperatorem eſſe, cum auxiliaribus copijs, alij, quod uerum erat, agmina Perſarum. Sed qui primi ueniebant, ut uiderunt urbem Antiochiæ, in unum conſedêre, præſtolantes mox ueniēs robur ſuæ militiæ. Erat autem Corbanan princeps militiæ regis Perſarum, qui ex longo tempore collegerat ſibi illud agmē diuerſarum gētium. Erāt quippe ibi Perſæ & Medi, & Arabes, & Turci, Ahimitæ, & Saraceni, & Publicani, & diuerſarum nationum alij multi. De Agulanis erant ibi tria millia, qui nullam armorum copiam niſi ſolos enſes geſtabant: qui omnes undiq; ferro cooperti, nulla arma aduerſantia timebāt. Cumq; hij in unum conueniſſent, curſores ſuos ante urbem direxerūt, qui noſtros ad bellū prouocarent, & de ciuitate exire ſuaderent. Sed noſtri qui ex heſterno conflictu fatigati erant, ſalubrius eſſe iudicauerunt inter mœnia remanere, quā extra bella mouere. Illi uero per campos & plana currentes, noſtros ad bella ciebant, diraq; eis conuitia obijciebant. Lanceas & gladios in altū eijciebant, & ludentes & luxuriantes. Sed cum neminem de noſtris potuerunt extrahere, diſpoſuerunt remeare ad caſtra. Quos cum reuerterentur, inſecutus eſt unus ex noſtris, Rogerus de Barda uilla, cum alijs tribus armatis. Sed ipſi nolebant cum paribus inire certamen, quia iam de prælijs Francorum multa audierant enarrare. Poſueruntq; inſidias poſt ſe ſub rupe cauata, & quoſdam ex ſuis dimiſerunt qui eos quaſi laceſſerent in pugnam. Cumq; noſtri tranſirent inſidiarū locum, fures de cauernis ſuis exierunt, eoſq; à tergo inuaſerunt. Qui præibant, reuertuntur in occurſum, celeremq; contra eos dirigunt curſum. Qui cum ſe comprehenſos eſſe cognoſcerent, flexis frenis, fugæ tutelam ſperauerunt cōſequi, ſed nullatenus potuit inueniri. Rogerus ſocios præmittit ante ſuos uultus, & ipſe parma poſt tergum reiecta, creberrimos illorum ſuſtinet ictus. Iamq; penè euaſerat, iamq; ſaluti proxima loca tenebat, cum equus illius ſolo proruit, & cadenti inhærens ipſe cecidit, qui nullo modo leuari potuit, quoniā equi mole oppreſſus fuit. Heu quantus dolor ſtridorq; dentiū tunc erat, ſuper muros Antiochiæ, cum generoſa Francorum pubes, uideret inclytum militē ſuum rabidos canes tam atrociter occidere. Auertebant oculos, nec uidere poterant, cum eum membratim dilaniabant, ad extremum caput eius amputauerunt: contoq; infigentes, quaſi triumphi uexillum, ad caſtra deportauerunt. Erāt autem caſtra illorum iuxta pontem ferreum. Senſadolus autē filius regis Antiochiæ nuper defuncti, ierat ad Corbanan, ſup-

plexiq́ʒ ad pedes illius rogans ut ſui miſereretur, & contra Francos adiuua‑ret, qui patrem eius occiderant, & de inclyta urbe exhæreditauerant. Non habebat refugium, quoniam iam tota ciuitas Francorum ſubiacebat im perio. Inquit igitur ille. Pater dum adhuc uiueret legationem tibi tranſ‑miſit ut ei ſubuenires, ut te aut magnis muneribus ditaret, aut Antiochi‑am & uniuerſum regnum de te ſuſciperet. Idem tibi promitto, ſi potes recuperare Antiochiam, à te illam ſuſcipiam omnemq́ʒ tibi fidem præſta bo. Quod ſi non potes, fugiendũ tibi eſt, & omnibus hominibus noſtræ nationis. Non eñ eis ſufficiet Romania, ſiue Syria, neqʒ Corotaim, quo‑niam Hieroſolymam dicunt eſſe ſuam, regnumq́ʒ Damaſci. Erant autẽ ibi reges harum prouinciarum, qui audiebant illud uerbũ. His dictis Cor banan reſpondit, Si uis ut te manu mea adiuuem, tuoq́ʒ regno reſtituã, caſtellum quod adhuc habes, redde in manum meam, quia reſtituetur ti‑bi per illud Antiochia. Cui iterum Senſadolus: Si præuales Francos eli‑minare ab urbe, efficereq́ʒ ut ſumam uindictam de eis, tibi tradam caſtel lum, feriamq́ʒ tecum fœdus. Conſenſit uterqʒ & tradidit caſtellum. Et dedit Corbanan cuidam fideli ſuo ad cuſtodiendum. Tali autem conditi one recepit in cuſtodiam. Vt ſi Franci uincerentur, cuſtodiret, ſi uincerẽt, & ipſe ſicut & alij, relicto caſtro, cõfugeret. Cui ille: Et nos uicti ſumus, de caſtello quid faceremus? Dignum eſt ut uictores habeãt caſtellum, quo‑niam uictoria, caſtello maius erit præmium. His ita geſtis, Corbanan ſu‑per his conticuit, & ad alia reſtituenda tempus diſpoſuit. Et cum ſederet in ſolio, attulerunt ante eum Francigenum enſem ualde deſpicabilem & obtuſum, & fœda rubigine tectum. Attulerunt & lanceam eadem defor‑mitate conſimilem, quæ etiam ſua abiectione, enſem faciebat præpollen‑tem. Quæ cũ Corbanan uidiſſet, ait. Quis dicet nobis ubi ſunt arma hæc reperta? Aut qua de cauſa noſtro conſpectui ſunt præſentata? Cum illi qui attulerant dixerunt: Glorioſe princeps & decus regni Perſarum, hæc arma cuidam Francigeno abſtulimus, & tibi attulimus, ut uideas & agno ſcas quibus armis illa pannoſa gens conetur nos & fines noſtros depræda‑ri, imò & omnem Aſiam depopulari. Tunc Corbanan ſubridens ait: Li‑quet, quia ſatis eſt gens illa inſenſata & ratione parum utitur, quæ talibus armis æſtimat poſſe ſubiugare ſibi regnũ Perſarũ. Gens quippe eſt præ‑ſumptuoſa, & alterius iuris nimium ambitioſa. Gens uidelicet quæ in ſua confidit animoſitate, ſed per Mathomum male intrauit fines Syriæ, mu rosq́ʒ regiæ ciuitatis Antiochiæ. Hæc dixit, notariumq́ʒ ſuum arceſ ſiri iuſſit. Cui arceſſito, inquit. Sume plures ſcedulas, & ſcribe religioſo pa pæ noſtro Caliphæ, regiq́ʒ Perſarum, Soldano ſuper omnes glorioſo, maioribusq́ʒ regni Perſarum proceribus, ut longæuam obtineãt uitam, pacem continuam, ſalutem corporum diuturnam. Fortuna felix & iocun da bene

Epiſtola ducis ad Soldanũ.

da bene

da bene nobis proſperatur, ſecundisq́ ſucceſſibus arridet: quoniam Francorũ exercitũ intra muros Antiochiæ incluſum tenet, & caſtellũ quod ciuitati præeminet, iam in manu noſtra habeo. Vnde certum ſit uobis, quia rumores quos de eis audieratis, non ſunt illius generis cuius audiſtis, quia nec lupus tantus eſt, quantus & clamor qui eum ſubſequitur. Quia uero præcepiſtis ut omnino eos de terra delerem, gladioq́ uita priuarem, nolite aduerſum me indignari, ſi quoſdam de melioribus uinctos uobis trãſmitto: quoniam tunc erit in ueſtra deliberatione, utrum uelitis eos mori ſiue uiuere. Nobis enim conueniens eſſe uidetur, ut qui uiui in manus noſtras incidunt, captiui fiant, & dura apud nos exerceant ſeruitia. Honorificum quippe erit regno Perſarum, ſi in eo exulatur frater regis Francorũ. Vos autem in pace & ſumma tranquillitate uiuite, omniq́ corporeæ uoluptati operã impendite, filiosq́ ſine ceſſatione procreate, qui aliis, ſi neceſſe fuerit, Francis obſiſtant, & cum noſtræ defecerint uires, tunc ualeãt. Faciei ueſtræ præſentiam non ante uidebo, donec totam Syriam, & Romaniam, atq; Bulgariam ueſtræ ditioni ſubiugauero. Hæc Corbanan locutus in ſuperbia & in abuſione, quæ ei conuerſa ſunt in ignominiã & confuſionem. Poſt hæc mater eius uenit ad eum mœrens & triſtis, lugubremq́ afferens uultum. Et cum in ſecreto cubili ambo conueniſſent, dixit mater ad filium: Fili ſolatium meæ ſenectutis, & unicum pignus totius meæ dilectionis, ad te feſtina uenio fatigata longinquitate itineris. Ego eram in Alep ciuitate magna, cum de te grauis ſermo aures meas percuſſit ſuoq́ impulſu maximum cordi meo dolorem impulit. Dictum eſt mihi, quod tua agmina diſponebas, & contra Chriſtianos pugnare uolebas. Propterea feſtina ueni, à temetipſo ſcire uolens, utrum ſe res ita habeat an non. Ait ad matrem filius: Mater nihil unquam uerius audiſti. Et mater ad filium, inquit. Quis fili tale conſilium iniquus tibi dedit. Nondum es expertus uirtutem Chriſtianorum, & præcipue gentis Francorum. Si legiſſes ſcripta omnium prophetarum, omnium ſapientum, profecto nõ ignorares, quod ipſe eſt omnipotens & deus deorum omnium. Si pugnabis aduerſus Chriſtianos, pugnabis contra ipſum & angelos eius. Sed dementiſſimum cõtra ipſum omnipotentẽ pugnare eſt, quoniam id ipſum eſt uelle ſe deſtruere. De ipſo quidẽ inuictiſſimo deo dicit propheta: Ego occidam, & ego uiuere faciam, percutiam, & ego ſanabo: & nõ eſt qui de manu mea poſſit eruere. Si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea: reddam ultionem hoſtibus meis, & his qui oderunt me retribuam. Inebriabo ſagittas meas ſanguine, & gladius meus deuorauit carnes. Periculoſiſſimum eſt contra hunc conflictum inire, qui gladium ſuum nouit ſic acuere, acutum inebriare, inebriato, carnes macerare. Fili Pharaonem regem Aegypti quis ſubmerſit in mari rubro, cum

Oratio matris dehortantis filium à bello ſuſcepto.

F 2 omni

omni exercitu ſuo. Quis eijecit Seon regem Amorreorum, & Og regem Baſan, & omnia regna Chanaan, & dedit ſuis in hæreditatem? Ipſe idem deus oſtendit quanto amore diligat populum ſuum, quantáque tutela circumuallet eum, cum dicit: Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, & cuſtodiat ſemper: Obſerua & audi uocem meam, & inimicus ero inimicis tuis, & odientes te affligam, & præcedet te angelus meus. Genti noſtræ iratus eſt deus ille, quia nec audimus uocem eius, nec facimus uoluntatem: & idcirco de remotis partibus occidentis excitauit in nos gentem ſuam, deditq́ ei uniuerſam terram hanc in poſſeſſionem. Nō eſt qui poſſit eis eam auertere, non eſt qui eam ualeat amplius exterminare. Poſt hæc inquit filius matri ſuæ: Credo mater quod aut inſanis, aut furijs infernalibus exagitaris. Quis tibi dixit, quod gens iſta nō poteſt exterminari? Plures mecum ſunt optimates & Admiraldi, quā ſint omnes Chriſtiani congregati. Dic mihi mater: Hugo eorum ſummus dux, & Apulienſis Boamūdus, & gladiator Gothefridus, ſunt ipſi dij eorum? Nónne ſicut & nos aluntur temporali cibo. Nónne eorum caro ſicut & noſtra poteſt incidi ferro? Ad hæc mater reſpondit: Non ſunt dij quos tu nominas, ſed homines & milites dei excelſi, qui dat eis animos, exaggerat uires, redditq́ magnanimos: ſicut ipſe per prophetam loquitur dicens: Perſequetur unus de uobis mille, & duo fugabūt decem millia, quod iam in his expertum eſt, qui noſtros fugauerunt de tota Romania. Propterea fili conteſtor te per omnium noſtrorum numinum nomina, ut te auertas à facie iſtorum, & non ineas contra eos bellum. Stultum eſt enim ut ſuperius dixi, contra omnipotentē ſæuire, & in gentem eius debachari. Et reſpondit filius matri ſuæ. Chariſſima noli lacrymari, noli crebris gemitibus anxiari, quoniam nulla arte, nullo ingenio reuocabis, etiam ſi in prælio ſcirem meipſum interiturū. Tunc mater triſtior effecta, iterum filio ſuo dixit: Scio quia pugnabis, ſed modo non morieris, ſed antequā tranſeat annus de hac uita diſcedes: Modo es in omni regiōe Oriētali famâ laudabili præditus, in aula regis Perſarum nulli ſecundus, cum autem modo uictus fueris, iuxta quæ nūc tibi eſt gloria, inglorioſus eris. Quanto enim quiſq́ cæteros antecellit, tanto magis ſordeſcit, ſi turpius ruit. Nunc uero omni flore Orientalium regum ac diuitum ſtipatus, tantorum innumerabilium ſatellitum caterua circundatus, ſi ſuperatus eris, cum quo ulterius pari aut impari numero decertabis? Tu qui olim cum paucis multos ſolebas in fugam uertere, nunc diſces etiam fugere cum ingenti copiarum ui. Tunc filius iræ impatiens uerba matris diutius ferre non poterat, ſed ea interrumpēns ait: Quid mater concitas aërem inanibus uerbis,

nos

noſq; ad faſtidium pertrahis ſermonibus imperitis? Nulla uirtus bel-
lorum nobis ualet reſiſtere, nec ualet alter exercitus noſtro preualere.
Sed dic mater mea, unde ſcis quod uinci debeamus in hac pugna, & quod
mori debeo nō hic, ſed antequam tranſeat annus, morte ſubitanea, & quod
gens Chriſtiana fines noſtros ſit poſſeſſura? Cui mater ait: Ante centum
annos, inuenerunt patres noſtri in ſacris deorum reſponſis, & in ſortibus
& diuinatiōibus ſuis & animaliū extis, quod Chriſtiana gens ſuper nos eſ-
ſet uentura, noſq; uictura. Concordant itaque ſuper hoc aruſpices, magi,
arioli, & numinum noſtrorum reſponſa, & prophetarum dicta, in quibus
dicitur: A ſolis ortu & occaſu, ab Aquilone & mari, erunt termini ueſtri,
& nullus ſtabit contra uos. Credimus, quia hoc totum uenturum eſt, ſed
neſcimus an hoc ſit ipſum tempus, niſi quod quibuſdam noſtrorum uide-
tur, quodq; hoc aſſiduæ rerum mundi ruinæ præſignant, & aſtrorum in-
tuitus prænuntiauit. De hoc ſiquidem prælio quod commiſſurus es, di-
cam tibi ueritatem, & de morte tua quàm inde habeo noticiam. Ex quo
milites ad patrandum bellum hoc colligere cœpiſti, ſollicita indagatione
perſcrutata ſum, quæcunq; mihi poſſunt uentura prædicere, & conſonant
quod nullus omnino Chriſtianorum poterit ſuperari. Cum aſtrologis ſy-
derum curſus, ſeptem ſcilicet planetas, & duodecim ſigna, ſapienter con-
templata ſum, & quicquid Phiſica ſpeculatione intelligi poteſt cum aru-
ſpicibus, extis & armis pecudum. Omnia in unum concordant, gentiq;
Francorum uictoriæ titulos prænuntiant, & necem tibi, ſicut dixi, ſuperi-
us intentāt. Tunc ille, mater, inquit, ceſſa ab his de cætero, quia cum Fran-
cis pugnabo quàm primum potero. Illa uidens quod nil proficeret, nō diu
morata unde uenerat rediјt, ſecumq; reportauit quicquid ſpoliorum adi-
piſci potuit. Iam uero de his quæ interim in urbæ geſta ſunt, aliqd refera-
mus. Turcis libera facultas erat intrandi caſtellum, & exeundi, noſtroſq;
die nocteq; iaculando & ſagittando ad bella ciebant, & cum certantium
uires deficiebant, noui recenteſq; ſubibant. Sicq; nouis iugiter ſuperueni-
entibus uirtus illorum creſcebat: noſtrorum uero quotidiana laſſitudine
deficiebat. Nulla enim quies erat, nec arma deponebant, ſed in procinctu
militiæ ſemper erant. Telis & ſagittis plateæ ciuitatis impediebantur, &
tecta domorum onerabantur. Omni die ante caſtellum fit noua congreſ-
ſio. De noſtris tamen deo protegente pauci moriebantur: de illis uero ca-
teruatim perimebanť. Et dum ſic tēpus prolabiť, fames omni hoſte crude-
lior noſtros inuadit, uireſq; eorū de die in diē attenuauit. Vultus marce-
ſcunt, brachia deficiūt, & tremula manus uix terræ uellicat herbas, & fron-
des arborū, & radices herbarū. Hæc omnia coquebanť, & comedebanť.

Crus aſini ſexaginta ſolidis comparabatur, & qui emebat diſſipator ſubſtantiæ non æſtimabatur. Panis paruus uendebatur uno aureo. Carnes aſinorum, equorum, camelorũ, boum, bubalorum conſumebãtur, etiam eorũ coria coquebantur. Matres filios ſuos fame pereuntes, ad ubera ſuſpendebant, ſed pueri in maternis uberibus nihil inueniebant. Quadam die Corbanan incitauit noſtros ad prælium, ſcilicet extra urbem, ab illa parte in qua erat caſtellum, ſed milites & equi fame cruciati, diu non potuerũt ſufferre ueloces impetus eorum. Conglobati igitur in unum, noſtri ad ciuitatem regredi ſalubrius eſſe intellexerunt, ſed oppreſſi à Turcis, portam nimis anguſtam repererunt, in tantum quod quidam ibi uſq; ad mortẽ attriti ſunt. Sicq; fiebat pugna intus & exterius, nec dabatur ulla quies noſtris fame pereuntibus. Propter hæc & his ſimilia aliqui de noſtris militibus immoderate perterriti, fuga in ipſa nocte elapſi ſunt, funibus ad ꝓpugnacula ligatis, quibus manus ſuas omnino decoriauerunt, & ſic ad mare pedibus tetenderunt. Quo peruenientes dixerunt nautis, ut fugerent, quoniam omnes Chriſtiani aut mortui aut uincti eſſent. Illi autem dolentes in mare ſe miſerunt, & Turcarum ſe potentatui ſubtraxerunt.

Stephanus Carnotenſis comes, qui inter alios principes uidebatur magnus conſilio, prouidus, morum honeſtate præclarus, antequam caperetur Antiochia graui infirmitate detentus eſt: & ad quoddam caſtrum, quod ſuum erat, ſeceſſit, cui nomen Alexandreta fuit. Hic ut à fugientibus audiuit hanc de noſtris relationem, occultæ montana urbi adiacẽtia aſcendit, ut uideret quidnam eſſet, utrumne relatio uera eſſet. Sed innumerabilia Turcarum agmina à longe conſpexit, noſtrosq; intra urbem incluſos eſſe deprehẽdit. Perterritus timore, aufugit, & ad caſtrum ſuum remeans funditus eã expoliauit: & ſic uerſus Conſtantinopolim equitare cœpit. Illi uero qui in urbe obſidebãtur, ſummo deſyderio aduentum eius præſtolabantur, putantes eum imperatorem ſecum adducere, & uelle cum eo rebus neceſſarijs ſuccurrere. At ipſe per deuia tendens, ut ad Philomenam uenit, imperatorem ibi inuenit: eiq; ſecreta allocutione dixit: Domine imperator noſtri reuera Antiochiam obtinẽt: ſed caſtellũ quod ei ſupereſt adhuc Turci poſſident: innumera Turcarum agmina eos obſident. & qui in caſtello ſunt urbem oppugnãt. Sed quid ſuper his reſtat, niſi quia aut mortui iam ſunt, aut in proximi morti. Tu autem reuerende imperator, ſi noſtro credis conſilio ulterius non progredieris, ſed ad urbẽ tuam reuerteris. Nam nõ poteſt humana eis poteſtas ulla ſubuenire, ſed ſi illuc ieris cum tuo exercitu poteris interire. His auditis ſermonibus imperator ualde triſtis efficitur, & quod ei dixerat in ſecreto, principibus ſuis ac magiſtratibus propalauit in aperto. Omnes cõtriſtantẽ ob noſtrorũq; funera lacrimantur. Erat ibi quidam miles, nomine Vuido, qui per mili-

tiam

tiam celebre ſibi nomen adquiſierat, multumq; Boamundo familiaris extiterat. Qui cum hoc audiſſet, ita indoluit, quod ac ſi mortuus in terram corruerit. Et cum reſumpto ſpiritu ab illa mentis alienatione reuerteretur, flere immoderate cœpit, genasq; unguibus ſulcando, crines manibus decerpendo, omnes cogebat ad luctum, dicebatq;: O deus omnipotēs, ubi eſt uirtus tua? Si omnipotēs es, cur ad hæc facta conſenſiſti? Nonne erant & milites tui & peregrini? Quis unquam rex, aut imperator, aut potens dominus familiam ſuam ita permiſit occidi, ſi ullo modo potuit adiuuare? Quis erit unquam miles tuus aut peregrinus? O Boamunde, honor aliorum diuitum, corona ſapientum, gloria militum, ſolamen deſolatorum, robur militiæ, & totius mundi decus inſigne, cur tibi tale infortunium contigit, ut Turcarum ludibrio ſubiaceres? Heu heu, cur mihi cōceſſum eſt uiuere poſt te? Quæ mihi poſthac lux grata, quæ ſpecies amœna, quæ gloria delectabilis, quæ uita iocunda, te minime ſuperſtite? O deus, qua cauſa ita occiſi ſunt, quaſi dominum nō haberent ſerui tui. O Boamūde, ubi eſt illa fides tua, quâm ſemper habuiſti, in ſaluatore tuo domino noſtro Ieſu Chriſto? O imperator & egregij milites, qui mecum tanta tantorumq; funera lugetis, quis perfecte credere poteſt, quod tanta militia ſic perierit? Profecto ſi in medio campo ab omni Orientali populo circunſepti fuiſſent, non ante omnes occiderentur quàm ulciſcerentur. Nunc autem & ciuitatem habebant, in qua ſe defendere poterant, & ita interempti ſunt? O imperator, certiſſime ſcias, quia ſi Turci noſtros occiderunt, pauci de ipſis remanſerūt. Propterea ne paueas illuc ire, quia Antiochiam recipere poteris. Imperator quidem conſilio illius noluit aſſenſum præbere, ſed uerbis nugacis, fugitiuiq; comitis nimium credulus, retro deſtinauit abire. Bulgariæq; loca præcepit deuaſtare, ut ſi Turci in partes illas peruenirent, nihil penitus iuuenirent. Cum ipſo pariter & ipſe Vuido, & illi qui cum ipſo imperatore ierant, reuerſi ſunt, quia ultra ire non præſumpſerūt. Sic igit̄ noſtri omni humano ſolatio deſtituti ſunt, & per uiginti quinq; dies, cum hoſtibus & fame, cū gladio & penuria, indeſinenter decertauerunt.

Roberti Monachi ſexti libri finis.

SVPERNA

ROBERTI MONACHI DE CHRISTIANORVM PRINCIPVM BELLO CONTRA TVRCAS,

Liber ſeptimus.

SVPERNA pietas humano deſtitutis auxilio niſi præuidiſſet, ex Francigenis, iam ciuibus Antiochenis, nullus ſupereſſet. Sed cum iam uita diffiderent, omniaq́ꝫ eis mortem intentarent, placuit deo ſaluatori regi regum Ieſu Chriſto, ut cuidam ſacerdoti ſuo appareret, dum quadā nocte in eccleſia caſtæ genitricis dormiret. Erāt autem cum eo, ipſa uirgo & mater Maria, beatus Petrus Apoſtolus. Cui ait: Agnoſcis me? Cui ſacerdos, Non. Tu quis es domine? Tunc in capite ſaluatoris crux cœpit apparere. Cui iterum dominus: Iam ne agnoſcis me? Iterum ſacerdos reſpondit: Non aliter agnoſco te, niſi quia crucē in capite tuo uideo, ſicut in imaginibus, quæ repræſentant corpus domini noſtri Ieſu Chriſti, uidere ſoleo. Et dominus ad eū: Ecce ego ipſe ſum. Sacerdos uero, ut audiuit, quod dominus eſt, ſtatim proſternebat ſe ad pedes eius ſuppliciter, obſecrans, ut ſuis Chriſtianis ſubueniret, fame & hoſtium oppreſſione laborantibus. Cui ait: Non tibi uidetur quod bene eos adiuuerim hucuſq́ꝫ, quia illis & Nicæam tradidi ciuitatē, & omnia quæ eis ſuperuenere bella uincere feci. In obſidione Antiochiæ eorum miſeriæ cōdolui: nunc uero ad extremum ciuitatis ingreſſum tribui. Omnes tribulationes & impedimenta, quæ paſſi ſunt, ideo euenire permiſi, quoniam multa nefanda ſunt operati, cum Chriſtianis mulieribus, & à fide alienis, quæ ualde diſplicēt in oculis meis. Vade nunc dic populo meo ut reuertatur ad me, & ego reuertar ad eum: & infra quinq́ꝫ dies mittam eis ſufficiens auxilium, interim quotidie cantet hoc reſponſorium. Congregati ſunt inimici noſtri & gloriantur in uirtute ſua &c. Hac ita uiſione completa, uenerabilis presbyter ſomno excitus ſurrexit, expanſisq́ꝫ manibus orauit, prout ſpiritus ſanctus dabat eloqui illi. Inde eadem die hora tertia ad principes exercitus perrexit, inuenitq́ꝫ eos ſurſum ante caſtellū præliantes contra inimicos, & mouentes inuicem bellum. Quibus conuocatis, læto & hilari uultu dixit. O belligeratores regis æterni, annuntio uobis ex parte ſaluatoris noſtri gaudium & exultationem. Suam enim per me uobis tranſmiſit benedictionem: & ſi ei obedieritis conſequimini & gratiam. Tunc omnibus attente audientibus & undiq́ꝫ confluentibus, omnem ordine expoſuit uiſionem. Qua expoſita, ſubiecit & ait. Si huic nō creditis uiſioni falſamq́ꝫ eam ſuſpicamini, faciam uobis quod libuerit ex-

perimentum

perimentum quod uera eſt, & ſi mendax inueniar, omni iniuria afficite corpus meum. Tunc Podienſis epiſcopus iuſſit afferri crucem, ſecundũq́ꝫ euangelium ut coram cunctis iuraret hoc uerum eſſe. Quod ita factum eſt. Et ut diuina bonitas, bona, bonis accumularet, ſuosq́ꝫ lugubres ſeruos magis magisq́ꝫ lætificaret. Affuit ibi quidã peregrinus, nomine Petrus, qui hanc uiſionem retulit coram omnibus: Audite populi domini & ſerui dei excelſi uocem meam, & ſermonibus meis inclinate aurem ueſtram. Dum in obſidione huius ciuitatis eramus, quadam nocte aſtitit mihi in uiſione ſanctus Andreas Apoſtolus dicens: Bone uir audi & intellige me. Et aio ad eum: Tu quis es domine? Et ille: Ego ſum Andreas Apoſtolus. Fili cum urbem hanc intraueritis, & eam in poteſtate habueritis, ad eccleſiam dei celeriter uade, & in loco quem monſtrauero tibi inuenies lanceam, qua perforatum eſt latus ſaluatoris noſtri. Hoc tunc ſolummodo Apoſtolus dixit mihi. Ego uero tunc auſus non fui hoc alicui indicare, exiſtimans me uanam uiſionem uidiſſe. Nunc uero iſta nocte iterum apparuit mihi dicens: Veni & oſtendam tibi locum ubi lancea abſcondita eſt, ſicut promiſi tibi. Feſtina igitur ut extrahas eam, quoniã portãtibus eam ſequetur uictoria. Et oſtendit mihi ſanctus Apoſtolus locum, quem uenite & uidete, & inde eam mecum extrahite. Cumq́ꝫ omnes ad eccleſiã dei currere uellent, adiecit adhuc, & ait. Ne timeatis, ſed confitemini & pœnitentiam agite à malis operibus ueſtris, quoniam infra quinq́ꝫ dies ſuper inimicos ueſtros iterum triumphabitis. Tunc omnes unanimiter glorificauerunt deum, qui dignabatur conſolari dolores ipſorum. Statim uero cucurrerunt ad eccleſiam dei cupientes locum uidere, ubi debebat lancea inueniri, foderunt autem ibi tredecim homines, à mane uſq́ꝫ ad ueſperã, ſicq́ꝫ eam domino diſponente repererunt, fuitq́ꝫ magna læticia in omni populo, magniſq́ꝫ uocibus reſultabant. Te deum laudamus. Gloria in excelſis deo. Tunc omnes in unum iurauerunt, ut nullus eorum propter ullam tribulationem ſeu mortẽ fugeret, nec ab incepto itinere ſancti ſepulchri diſcederet. Omnis itaq́ꝫ plebeia multitudo gauiſã eſt, cum ſacramentum hoc iurarent maiores. Et alter alterum ad uirile robur hortabatur, & de diuino adiutorio quod fiducialiter unuſquiſq́ꝫ præſtolabatᷓ, applaudebant. Nocte igitur inſecuta ignis de cœlo ueniens ab Occidente apparuit, & inter Turcarum exercitum corruit. Quod ſignũ corda omniũ uehementer obſtupefecit, & maxime Turcarum in quorũ tentoria cecidit. Inter ſe enim uaticinari cœperunt, quod poſtea contigit, quia ignis de cœlo deſcendens ira dei erat, quia uero ab Occidente uenerat, Francorum agmina deſignabat, per quos iræ ſuæ animaduerſionem exercebat. Iam uero qui ſeniores erant cœperunt à ferocitate ſua quantulumcunq; manſueſcere, & ab ea quam prius habuerant animoſitate torpeſcere. Sed

quia ſtultorum infinitus erat numerus, noſtroſq; ad præliũ concitabãt, nec die nec nocte requieſcebant. Placuit ſenioribus murum inter ſe & illos cõſtruere, ut uel ſic ad modicum poſſent reſpirare. Vna die enim tam acriter in noſtros corruerunt, ut tres in una turre quæ erat ante caſtellũ incluſerint: ex quibus duo uulnerati de turre exire compulſi ſunt, & occiſi ſunt: unus uero uſq; ad ueſperam fortiter reſiſtens permanſit, duoſq; ex illis occidit, & ſic deinceps gladio uitam finiuit. Quibus dum uiuerẽt, cum Boamundus uellet ſuccurrere, uix aliquem potuit extrahere, quia illos nõ tantum hoſtis urgebat, quantum ualida fames opprimebat. Vnde iratus ignem poni præcepit in domibus quæ erant ab illa parte ubi & palatium Caſſiani erat, ut qui exire ſponte nolebant, ſaltem exire compellerentur inuiti. Tunc cum igne tanta uenti tempeſtas exorta eſt, quod tantum flamma inualuit, ut uſque ad duo millia domorum & eccleſiarum combuſſerit. Boamundus ut uidit flammam ignis ita inſurgere, pœnitentia ductus uehementer doluit, quoniam eccleſiis etiam timuit. Durauit itaque incen dium ab hora diei tertia uſque in noctem mediã, & ſic flante uento à parte dextera, in ſe ipſam reuerſa eſt flamma.

Incendit domos ut militẽ in aciem exire cogeret.

Lancea, ut ſupra diximus, nutu dei inuenta, ſeniores & magiſtratus militiæ conſilium acceperunt, ut ad Corbanan legationem ſaam mitterent, itemq; mandata ſuumq; conſilium per interpretem ſui ſermonis deferrent. Cumq; de multis fieret inquiſitio, nec aliquis præſumeret hæc ferre mãdata, tandẽ duo inuenti ſunt, Erlcuuinus & Petrus eremita. Hi cum interprete iter ſuũ ad Turcarum caſtra dirigunt, dein ad Corbanan tentoria perueniunt. Conuenerunt undiq; Turcæ, audire geſtiẽtes, quid dicerẽt Chriſtianorum nuntij. Erat autem Corbanan reſidẽs in ſolio indutus cultu regio, habituq; pomposo. Ante cuius faciem uenientes minime ſe inclinauerunt, ſed erecta ceruice aſtiterunt. Quod cum Turcæ uiderent, ægre tulerunt, & niſi nuntijs publicam fidem debuiſſent, ignominiam uindicaſſent. Tũc nuntij nil cunctantes, licet omnes ira commoti, ira circunfremerent, ſuperbo principi dixerunt. Corbanan à Francorum principibus in mandatis hæc ad te habemus. Vnde tibi contigit tam temulenta audacia, quod armata manu contra eos ueniſti, cum tu & rex tuus genſq; tua in eorum conſpectu culpabil:s ſitis, qui terras Chriſtianorum immoderata cupiditate inuaſiſtis, eoſq; omnes iniuria affeciſtis & occidiſtis. Infernales dij tui te turpius nõ potuerunt dehoneſtare, quàm quod te miſerunt contra eos pugnare. Si ratio iuris tecum eſſet, & cenſura æquitatis nobiſcum agere uelles, nos tecum iuris honor^e ſeruato ratiocinaremur & quod Chriſtianorum eſſe debent incontradic:bili ſermone oſtenderemus. Quod ſi apud te æqui ponderis ſunt ius & ratio, ut uoluptuoſa uolũtas, fiat inter tuos & noſtros determinata pugna, & uictoribus abſque aliorum ſanguinis diſpendio tota

Oratio legatorum Chriſtianorum ad Carbonan.

hæc

hæc concedatur patria. Quod ſi nec ita, nec ſic, complacet, aut fugam protinus inite, aut colla ueſtra noſtrorum enſibus præparate. His dictis ſermonis mediator conticuit. Corbanan uero ira magna inflammatus, uix loqui potuit: & tandem in hæc uerba prorupit dicens. Vere gens Francorum, gens ſuperba, ſed noſtro gladio refrenabitur eorũ ſuperbia. Ideo autem requirunt denominatum prælium, & quibus cedit uictoria, cedat & imperium. Quoniam ſine aliorum ſanguinis diſpendio, aut patria uolunt ditari, aut à manibus noſtris liberari. Sed tunc ſalubre conſilium non inuenerunt, cum pro effœminata gente arma ſumpſerunt. Tamen adhuc ite illiſq; renuntiate: quoniam ſi uolunt deum ſuum abnegare, ſuæq; Chriſtianitati renuntiare, in gratiam omnes recipiemus, & terram hanc eis donabimus, & multo meliorem: & de omnibus equites faciemus. Quod ſi facere neglexerint, omnes iamiam morientur, aut uincti in terram noſtram ducentur. Poſt hæc Erleuuinus, quia illorum noue rat linguã, ſubiecit & ait: O princeps nullius militiæ, ſed totius malitiæ, ſi ſcires quàm dementiſſimum eſt apud Chriſtianos dicere, nega dominum, nunquam de tuo ore polluto egrederet̃ tale uerbum. Scimus pro certo, ipſo deo quem negare ſuades reuelante, quia in proximo eſt noſtra ſalus, & ueſter interitus, noſtrum gaudium, & ueſtrum detrimentum. Quis uero uobis trãſmiſit ignem, qui uos ita perterruit, & de loco in quo tentoria fixeratis ita perturbauit? Signum hoc in portentum ueniet uobis, nobis in ſalutem, quoniam ipſius dei noſtri certam inde habemus legationem. Corbanan diu ferre non potuit conuitia Erleuuini, & præcepit à conſpectu ſuo illum amoueri. Dixeruntq; ei qui illic aſtabãt ut cito recederet, aliâs, nunquam ei legationem profuturam. Ille cum ſocijs ita diſceſſit, & ad urbem remeauit. Nec prætereundum quid iſtis recedẽtibus Corbanan ſuis dixerit. Audiſtis nunc, quid pannoſi illi uultuq; deſpicabiles & nullius perſonæ homunculi, & quàm cõſtanter locuti ſint: nec iram noſtram & tela micantia expauerunt. Hinc eſt, quia deſperati ſunt, & uolunt mori & malunt mori quàm captiuari. Propterea ô fortiſſimi milites cum ad prælium uenerint, undiq; eos circumuallate, ne alicui ſit locus diuertendi, nec ſpatium diu uiuendi: quoniam ſi eis aliquandiu licet uiuere, antequã omnes interficiantur, magnas ſtrages de noſtris facient. In hoc apparet quia Corbanan ſtultus erat, qui ſic loquendo ſuorum mentibus terrorem incutiebat. Nec mirãdum ſi inſipiens loquitur amentiam, quia ſpiritus ſapientiæ non intrat in maleuolam animam. Petrus eremita & Erleuuinus ad principes exercitus reuerſi ſunt: & quæ Corbanan reſponderat narrauerunt. Tunc Podienſis epiſcopus nutu & aſſenſu omnium, triduanũ omnibus indixit ieiunium. Vnuſquiſq; puro corde cõfeſſus fuit, & qui aliquid ad edendũ habuit, non habenti diſtribuit. Illos tres dies dedu- *Quibus modis ad pugnam ſe præpararint.*

xerunt cũm omni humilitate, & puritate cordis domini miſericordiam implorantes. Tertia die illuceſcente, miſſæ per eccleſias celebratæ ſunt: omnesq́; ſancta dominici corporis cõmunione communicati ſunt. Communi deinde conſilio intra urbem ſex acies conſtituuntur, & quæ prius, quæ poſterius irent ordinantur. Prima acies fuit Hugonis magni, & Flandrenſis comitis: ſecunda uero ducis Gothefridi: in tertia uero fuit comes Robertus de Normannia cum ſuis: quarta fuit Podienſis epiſcopi, qui ſecum portauit lanceam noſtri ſaluatoris: & cum illo fuit magna pars exercitus comitis ſancti Egidij, qui ad cuſtodiam ciuitatis remanſit. Quinta Tancradi fuit: & Boamundi ſexta, cum qua expeditiores ad bellum pedites fuerunt, & milites qui equos ſuos neceſſitate uicti uendiderant. Epiſcopi, presbyteri, clerici, & monachi, ſacris ueſtibus induti cum militibus extra portam ciuitatis exierunt, portantes in manibus ſuis cruces, quibus dei populum ſignabant, & magnis uocibus ad cœlum manibus extenſis clamabant: Saluum fac populum tuum domine, & benedic hæreditati tuæ, & rege eos & extolle eos nunc & in æternum. Eſto eis domine turris fortitudinis à facie inimicorum ſuorum. Hos & alios pſalmos cecinebant, illos præcipue qui tribulationi conueniebant. Similiter illi qui in turribus erant & ſuper murum idem faciebant, & cantabant. Egreſſi ſunt itaque milites Chriſti contra ſatellites antichriſti, per portam quæ eſt ante Mahumariam. Corbanan uero in quodam monticulo ſtans, exeuntes aſpiciebat, & dum exirent dicebat: State quieti milites mei, & omnibus exire ꝑmittite, ut eos melius ualeamus comprehendere. Habebat autem iuxta ſe poſitum Aquitanicum quendam, qui fidei noſtræ abrenuntiauerat, & edacitatis gula coactus de ciuitate exierat, & aduerſariorũ, ſe caſtris contulerat. Hic de noſtris multa nefanda dixerat, quod fame moriebantur, & omnes fugæ præſidia moliebantur, quod equos ſuos cõmederant, & uictus inopia tabeſcebant, nihilq́; reſtare niſi quod aut fugerent, aut ditioni Corbanan ſubderẽt ſe. Dumq́; diuiſæ acies ſuis ordinibus de ciuitate exirent, Corbanan cuius eſſet unaquæq́; requirebat, quæ Aquitanicus ei ordine referebat. Sol uero ſuper armatas loricas & lanceas radios inferens, oculos intuentium reuerberabat, & aduerſarijs terrorem immittebat, ut diuina ſcriptura teſtatur: quia terribilis eſt caſtrorum acies ordinata. Vt autem congregatos omnes conſpexit, intra ſemetipſum infremuit, circunſtantibus, dicens. Magna eſt gens illa, honeſteq́; armata, non mihi uidetur quod uelint fugere, ſed inſtare, quod non uelint obſequi, ſed perſequi. Conuerſus itaq; ad apoſtatam ſuum, inquit, furcifer omniumq́; ſceleſtiſſime, quæ friuola dixiſti nobis ſuper hominibus iſtis, quod equos ſuos comederint, & fame cruciati fugam pararint. Per Mathomũ in caput tuum retorquebitur

iſtud

iſtud mendacium, capitiſq; lues ſupplicium. Tunc accerſitus gladiator tyranni paruit imperio, & euaginato gladio caput illius præcidit: dignāq; ſuæ garrulitatis & apoſtaſiæ mortē ſubijt. Tuncquippe mandauit Admiraldo ſuo qui cuſtodiebat ſuum theſaurum, ut ſi ignem accenſum in capite ſui exercitus uideret, fugam protinus arriperet, & omnia quæ ſua erant ſecum portaret, aliosq; fugere cōpelleret. Sciret enim quia Francorum gentis eſſet bellum. Noſtri uero milites ut primum in quandam planiciem uenerunt, Podienſi epiſcopo innuente ſteterunt, & cum ſummo ſilentio ſermonem illius audierunt: Erat autem ueſtitus lorica, & in dextera illius in altum erecta ſaluatoris lancea. Qui os ſuum in hæc *Adhortatio ad Chriſtianos iā manus cū hoſte cōmiſſuros.* uerba aperiens dixit. Omnes qui in Chriſto baptizati ſumus, filij dei & fratres inuicem ſumus. Quos ergo coniunxit una ſpiritalis copula, iungat & dilectio una. Pugnemus igitur unanimes, ut fratres, pro animabus & corporibus noſtris, ſicut poſiti in rebus extremis. Mementote quantas tribulationes paſſi eſtis pro peccatis ueſtris, ſicut nunc uobis innoteſcere dignatus eſt in uiſionibus ſuis dominus deus noſter. Nunc uero purgati eſtis, deóque per omnia reconciliati. Et quid timendum? Nullum uobis contingere poteſt omninò infortunium. Qui hic morietur, uiuente felicior erit, quia pro temporali uita gaudia adipiſcetur æterna. Qui uero remanſerit ſuperſtes, præclara triumphabit uictoria, diuitijsq; inimicorum ditabitur, & nulla anguſtabitur inopia. Vos ſcitis quid perpeſſi ſitis, & quid in præſentiarū ante uos uideatis. Orientales diuitias adduxit uobis dominus ueſter in faciem ueſtram, in manus ueſtras. Confortamini & eſtote uiri robuſti, quoniam iam mittet dominus legiones ſanctorum ſuorum, qui ulciſcentur uos de inimicis ueſtris. Hodie uidebitis illos oculis ueſtris, & cum uenerunt ex eorum terribili fragore ne timeatis. [venerint] Non enim debet inaſuetus uobis eſſe conſpectus eorum. Conſiderate quomodo aduerſarij ueſtri extento collo, ſicut cerui & dammulæ paueſcentes, aduentum ueſtrum aſpiciunt, paratiores ad fugam quàm ad prælium. Et uos bene noſtis eorum prælia, quoniam ſagittis plus in fuga quàm in pugna confidunt. Ite igitur contra eos in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, ad bellum, & dominus deus noſter omnipotēs ſit uobiſcum. Cùmq; omnes reſpondiſſent amen, extenſis in longum legionibus prior erecto uexillo antecedit Hugo magnus, qui iure uocatus eſt Magnus, quoniam hoc priuilegium commendauit actu & moribus. Hunc ſubſecuti ſunt alij, ſicut ſuperius ſunt nominati, fuitq; eorum prolixa extēſio, à flumine uſq; ad montana ſcilicet, cui ſpatio interſunt duo miliaria. Tunc uero Corbanan cœpit retroire & mōtanis appropinquare. Noſtri aūt paulatim illū inſequebant̃, quoniā moderato greſſu

omnes procedebant. Tunc Turcæ in duo ſunt diuiſi, quia pars una à regione maris proceſſit, pars altera maior in campo remanſit. Statuerunt igitur noſtros ſic inter ſe includere, & à dorſo ſagittare: Sed ordinata
que eſt ſeptima acies, quis contra partem diuiſam confligeret: ordinata eſt autem ex militibus ducis Gothefridi & Normanni comitis: cui præfuit quidam dux, nomine Rainaldus: Hunc contra illos miſerunt, &
Manus conſe runt. præliati ſunt, multiq́ hinc & inde ceciderunt. Et ut aliæ ſex acies ad iactum ſagittæ peruenerunt: Turcæ uicinius ire recuſantes, tenſis arcubus trahunt, ſed fruſtra, quia uentus ex obliquo flans, eorum iactus redegit in uanum. Quod Turcæ ut uiderũt, uerſis frenis retro fugiunt, ſicq́ prima acies quæſiuit in bello bellum nec inuenit: quæſiuit quem percuteret, aut à quo percuteretur, nec reperit. Interea miſſus eſt nuntius à Boamundo Hugoni magno, ut ei ferret auxiliũ, quia nimium urgebatur oppreſſione Turcarum. Mox Hugo conuerſus, ait ſuis: O uiri bellatores, nos pugna fugit, quæramus pugnam, eamusq́ ad Boamundum egregium ducem: Illic eſt pugna quàm quæritis, illic ferreus inſtat hoſtis, quem deſideratis. Tunc citius dicto uolat illuc quiſq́ ſatelles, iungũturq́ ſimul egregij comites. Quod ut uidit dux ducum Gothefridus, quod magnus amicus ſuus ita celeri curſu cum omnibus ſuis diſcurrebat, inſecutus eſt eum, quoniam & ipſe à bello uacabat. Illic quippe incumbebat robur militiæ Perſarum, & maior fortitudo: & bene decebat, ut illic occurreret Gothefridus & Hugo. Erat enim unus ab altero, quaſi alter idem, unam habentes in ſe amicitiam. Hugo magnus cum ad pugnæ conflictum prior ueniſſet, intuitus eſt unum de aduerſarijs, qui erat audacior cæteris, aliosq́ ad pugnam clamando hortabatur. Qui ſpumantem equum dirigit contra eum, & lancea ei guttur perforauit, & ſic os illius oppilauit. Quid miſer faceret. Solo ſtatim corruit, & dijs infernalibus animam commendauit. Poſt hæc contigit noſtris grande incommodum: quia Odo Belgentiacus, qui uexillum ferebat, ſagitta toxicata uulneratus fuit: Et dolore uulneris ingraueſcẽte, cum uexillo terræ corruit: ſed Benienſis Guilerinus enſe nudato, uiam per medios hoſtes aperuit, & ſignum tellure leuauit. Quid dux ducum Gothefridus, quid Boamundus, quid clara iuuentus, ibi egerint, nec lingua dicere, nec manus ſcribere, nec pagina ualet capere. Nullus noſtrum ibi iners fuit, nullus timidus, qui nec locum habebant: & hoſtis ſupereminens unum quemq́ urgebat. Quanto magis enim occidebãtur, tanto magis creſcere uidebantur. Sicut enim putredini muſcæ confluere ſolent, ſic & ipſi undique conueniebant. Dum ſic certatur. & tam longi certaminis prolixitas fatigabat noſtros: nec numerus hoſtium uidebatur decreſcere: albatorum militum innumerabilis exercitus uiſus eſt de mon-

tibus

tibus deſcendere, quorum ſignifer & duces eſſe dicuntur, Georgius, Mauricius, Mercurius, Demetrius, Quos ut primum uidit Podienſis epiſcopus, exclamauit uoce magna dicens: O milites ecce uenit auxilium, quod uobis ꝓmiſit deus. Et certe noſtri ualde expauiſſent, niſi fuiſſet ſpes quàm in domino habebāt. Tunc tremor maximus irruit in hoſtes, & uerſis uultibus ſcutis terga cooperiūt, & fugam quò unicuiq; locus dabat arripiunt. Pars illa quæ à parte pugnabat maris, ut uidit fugam ſuorum, ignem ſparſit ſuper gramen campi, quod celeriter arſit, quia illud ſiccauerat ardor æſtatis. Hæc ideo fecerunt, ut hoc ſigno illi qui in tentorijs erāt ſtatim fugerent, & ſecum ditiora ſpolia tollerent. Illi uero cognito ſigno, qui in montanis erant, protinus fugerunt, cum omnibus ſpolijs quæ portare ualuerunt. Sed quid eis profuit, cum diu eis ferre non licuerit? Armænij & Surani ſiquidem ubi uiderūt, quia uicti erant, & noſtri eos inſequerentur, obuiam illis ueniebant & occidebant. Hugo uero magnus & dux Gothefridus & Flandrenſis comes, ſimul cum ſuis agminibus equitabant iuxta aquam, ubi robuſtior & depreſſior eorum erat exercitus: tantoq; impetu urgere cœperunt, ut ad ſua tentoria quò tendebant remeare non potuerint. Et ut citius ꝑſequi ualerent, illorū equos qui moriebant, aſcendebāt, ſuosq; equos qui erant macilentiores & afflicti fame, frenis à capite detractis relinquebāt in campo. O mirāda uirtus dei omnipotentis, & immenſa poteſtas: Miles tuus longo afflictus ieiunio, perſequitur tumentes adipe & pinguedine: ita ut etiam nec ad ſua bona quæ reliquerant auderent reſpicere. Spiritus tuus bonus erat in mentibus eorū, qui & uires ſuggerebat corporum, & audaciam præſtabat animorum. Non illum retardabat ulla cupiditas ſpoliorum, nulla ullius rei auaricia, quoniam illius mens magis titillabat uictoria. Sicut in macello beſtiarum corpora ſolitum eſt dilaniare, ſic & noſtris licitum erat Turcarum corpora laniare. Euolat ſanguis de corporibus uulneratorum, euolat puluis agitatus equorum pedibus diſcurrentium. Ether obnubilatur, & quaſi crepuſculum fieret obtenebratū Contigit autem quia fugientes in quendam collem deuenerūt, & ibi ſe contra noſtros recolligere ſperauerunt. Tunc Gerhardus ſenex de Melione, qui lōgo tempore ægrotus iacuerat in obſidione, equo celeri tranſuectus, improuide ſe iniecit in illos, eorūq; iaculis eſt confoſſus, & ſic digna morte peremptus. Quod ut uiderunt qui eum uicinius inſequebantur. Euuardus ſcilicet de Puteolo, Paganus Beluacenſis, Drogo, & Thomas, & Clarenbaldus, cæteráque iuuentus Hugonis magni, nil hæſitantes in illos irruunt, & quidem forte certamen inierunt, ſed tamen deo iuuante, creſcente caterua ſuorum, uiriliter diſſipauerunt. Ibi multum cruoris effuſum eſt, multorum truncata capita, qui ſi, ut cœperant, fugiſſent, euadere potuiſſent. Perſecuti

ſunt

ſunt autem illos uſq; ad pontem ferreum,& ad caſtellum Tancradi, & ultra non potuerunt perſequi,quia nox obſcura finem rei impoſuit. Mortui ſunt autem illo die centum millia equitum, ſed propter faſtidiū nullus numeratus eſt de tota multitudine peditum. Miles fatigatus,quia longe ab urbe erat,ad tentoria quæ ſuorum erant inimicorū rediȷt, multumq; quodq; ad edendum ſibi ſufficeret inuenit. Ante enim quàm timor dei ueniſſet in corda illorum,in ſartaginibus & cacabis & lebetibus & in ollis parauerant carnes ad obſonium,ſed miſeris quæ parauerant,non licuit coquere nec tollere. Ibi potuit uideri uenerandus ſacerdos Podienſis epiſcopus,lorica ueſtitus & caſſide,& lācea ſancta in manibus, qui præ nimio gaudio rorabat uberrimis ora fletibus. Hic illos hortabatur, ut deo gratias agerent per quem uictores extiterant: dicebatq; eis. Ex quo milites eſſe cœperunt,nulli uobis compares fuerunt,quia nulli in tam breui tempore tot tantaq; bella confecerūt,quāta uos peregiſtis,ex quo mare Conſtantinopolitanum tranſiſtis. Multum quippe eſt à fide Chriſtiana alienus,qui uidet quæ uos hodie uidiſtis,& in dei dilectione non eſt cōtinuus. Hæc & his ſimilia uenerandus pontifex dicebat, & uerbis talibus populū ſibi commiſſum inſtruebat,& iocos,& riſus eorū temperabat. Contemplatio enim uultus illius præſentiæ ita omnes reuerberabat, quod nemo eo præſente uerba uana proferre præſumebat. Peracta nocte illa, in craſtinum quindecim millia camelorum ſunt inuenta: equos uero & mulos,& aſinos,oues,& boues,& omnis generis pecora nemo numerare potuit. Inuenta ſunt uaſa aurea,& argētea,plurima pallia, & ſpolia magna, magni preciȷ diuerſæq; uarietatis. Cum his omnibus ad ciuitatem triumphantes uenerunt: & ab his qui remanſerant clericis & presbyteris & monachis,cum ſolenni proceſſione ſuſcepti ſunt. Admiraldus uero qui in caſtello erat,ut uidit principem ſuum & eos qui cum illo erant à campo fuga diuerti,uiditq; innumera albatorum equitum millia, cum candidis uexillis per plana diſcurrentia,admodum expauit, unumq; de uexillis noſtris ob tutelā dari ſibi popoſcit. Comes ſancti Egidiȷ qui illic ad cuſtodiam ciuitatis remanſerat,ſuum illi uexillum conceſſit,& gratanter accepit, acceptumq; muro caſtelli affixit. Sed ut cognouit à quibuſdam Longobardis,qui aſtabant ibi,quod Boamundi nō eſſet, cui tota ciuitas conceſſa erat,ſignū ſuum reddidit comiti & ſignū quæſiuit Boamūdi & Boamundus miſit ei. Quod cū reciperet,Boamundū rogatus,ut ad ſe ueniret. Ille uicino pede legationi ambulauit,& quid dicere uellet auſcultauit. Gentilis fidei pactum requirit: ut qui cum eo erāt & diſcedere uellent, nullius iniuriæ læſionem paterentur, & uſq; in terram Saracenorum conducerent: qui uero ſecum Chriſtianus fieri uellet,faciendi licentiā haberet. Boamundus immenſo gaudio repletus eſt, & dixit: Amice quod expoſcis libenter concedimus

Infinita multitudo occiſa.

concedimus tibi,ſed præſtolare modicum quia iſtud principibus noſtris renuntiabo,& celeriter reuertar ad te. Et mox feſtinanter cucurrit, & aggregatis in unum principibus,uerba gentilis enarrauit. Placuit omnibus omnipotenti deo gratias agentibus. Boamundus ad iam domeſticum regreditur gentilē,& requiſitæ ab eo cōuentionis confirmat ſponſionem. Ille uero reddidit ſe epiſcopo Podienſi,& ſanctæ Chriſtianitati,cum trecentis ſuis militibus ualde ſpecioſis & iuuenibus, fuitq́ inter Chriſtianos tūc maius gaudium de eorum Chriſtianitate,quàm de caſtelli traditione. Boamundus caſtellum recepit,& eos qui Chriſtiani fieri noluerunt, in terrā Saracenorum conduxit. Triduano peracto ieiunio, baptizati ſunt gentiles cum lætitia magna,& creuit ibi laus dei & gloria Chriſtiana. Ipſi referre poſtea ſoliti erant,quod cum de caſtelli arce bellum aſpicerent,innumera ſubito candidorum militum millia ſe uidiſſe,quorum intuitus ipſos uehementer terruit. Nec mirum fuit, quia omne caſtellum funditus intremuit. Cumq́ uiderent eos agminibus Chriſtianorum conſociari, ſuosq́ in excidium fugamq́ uerti,protinus intellexerunt cœleſtia numina eſſe, Chriſtianorumq́ deum ſuperari non poſſe. Inde compuncta fuerunt corda illorum,ſeq́ Chriſtianos fieri ſpoponderunt. Actum bellum hoc quarto Calendas Iulij,uigilia ſcilicet Apoſtolorum Petri & Pauli. Sicq́ diuina reſpiciente miſericordia procella Antiochenæ tribulationis, quæ ferè per decem menſes intumuerat, ſedata fuit, & regia ciuitas quæ longo tactu temporū iugo diabolicæ captiuitatis ſubiecta fuerat, amiſſam priſtinæ libertatis gratiam recuperauit. Hoſtes qui eam in captiuitate detinuerant,fiunt & ipſi captiui,& in latebris ſyluarum,cauernisq́ petrarum,& foſſis montium ſunt diſperſi. Armænij,quoq́ & Surani habitatores terræ illius,per dies plurimos ſcrutati ſunt illos, & inueniebant alios ſemineces,alios uulneratos,alios parte capitis carētes,alios uentri ſuo, ne omnino uitalia exirent, manus ſuas apponentes, & detractis eorum ſpolijs interficiebant. Itaq́ inimici dei depopulati ſunt,& Chriſtiani ſerui dei excelſi in glorioſa urbe cum gaudio & læticia aggregati ſunt. Cumq́ quadam die conuenirent, cōſilio ſtatuerunt, ut ad Conſtantinopolitanū imperarorem legatos mitterent, ſuamq́ ciuitatem ut reciperet ueniret. Et proh dolor,iudicauerunt omnes,ut quia regi mittebant, regalis nuntius debebat ire. Et electus eſt Hugo magnus, uere regalis & genere & moribus. Quem nullatenus elegiſſent,ſi nō reuerſurum ſciſſent. Hic cum regi legationem ſuam compleſſet, morte interemptus occubuit, & quò regredi diſpoſuerat ad extremum non potuit. Conſtantinopolitanus autem imperator Vulpinus ad recipiendam urbem auſus non fuit uenire, quoniam recognoſcebat fidem & ſacramenta,iura & data pignora Francis deuiolaſſe & nequaquam cuſtodiſſe. Sicq́ omnes cōuentiones deletæ

fuerunt, quæ inter eos factæ ſunt. Interea in urbe reſidentes, tractare cœperunt de uia dominici ſepulchri: quid agerent, an mox inciperent, aut quando tempus terminarēt. Ad hoc ſiquidem communis aſſenſus adducitur, ut uſq; ad Calēdas Octobris reliquum itineris differatur. Aeſtatis ſiquidem ardor nimis incanduerat, & terra Saracenorum quàm ingreſſuri erant, inaquoſa & nimis erat arida. Propterea tempus expectauerūt, quod humidum ſit: & quo tellus abſconditos latices effundat. Definiendū ſimili modo erat, quid tantus populus interim ageret: & ubi & quomodo uiueret. Accepto inde conſilio, præco quæritur inde, qui dicat quid de his rebus ſit diffinitū. Præco quæſitus & inuētus, aſcendit & dixit: ut qui omnino egens erat in urbe remaneret, cū'q; illis qui ditiores erāt conuentionē faceret ac ſeruiret. Principes aūt diuiſi ſunt, per caſtella ſua & ciuitates.

Erat autem quidam miles de exercitu comitis ſancti Egidij, nomine Raimūdus, cognomine Piletus, animo uirilis, & corpore ſpectabilis. Hic perfecto odio Turcis inimicus erat, nec diutius tolerare potuit, ut longo tempore feriarent. Hic plurimam adiunxit ſibi militum peditum'q; multitudinē, & in terrā Saracenorū tranſduxit eam. Tranſeūt'q; duarum ciuitatum terminos: & peruenerūt ad quoddam caſtrum, quod Falamina uocatur, cui gens Suriana dominabatur. Suriani noſtros receperunt, ſe'q; eorum libentiſſime dominio tradiderunt. Octo igitur diebus tranſactis, perrexerunt ad aliud caſtrum in quo latitabat multitudo magna Saracenorum: ad quod peruenientes, militari impetu inuaſerunt, & remiſſa manu toto die pugnantes, ueſperaſcente expugnauerunt. Quo ita capto omnes occiderunt, præter eos qui Chriſtianitatē recipere uoluerunt. Hac itaq; de populatione facta, reuerſi ſunt ad caſtrū, quod Talaniannia diximus nuncupatū. In quo duobus perendinatis diebus, die tertia omnes exierunt, & ad urbem quæ Marra dicitur perrexerunt. Erat autem ibi aggregata non minima multitudo Turcarum & Saracenorū. Ab Alep alijs'q; ciuitatibus & caſtellis, quæ in circuitu eius ſunt, illorum præſtolantes occurſum. Ad quam cum ea appropiare cœperūt, illi barbari contra eos exierunt: ſed conflictū diu cum noſtris tenere noluerūt: quia in fugam uerſi, intra urbem ſe receperūt. Noſtri uero diu ibi reſidere nō potuerūt, quia æſtus uehementia eos uehementer urgebat, nihil'q; inueniri poterat ad bibendum. Iam'q; diei inclinante umbra, reuerſi ſunt ad caſtrū ſuum Talaniannia. Plurimi ſiquidē Chriſtiani partis illius incolæ cum noſtris ierant: ſed cum noſtris redire noluerūt: quos Turci in inſidijs occultati ceperunt & occiderunt. Raimundus uero ad illam ultra nō redijt ciuitatē, quia nō habebat exercitū quo obſideret eam, ſed in caſtro ſuo uſq; ad præfinitum tēpus Calendarū Octobriū remāſit, ſemper'q; interim terrā Saracenorū depopulatus eſt. Illi autē qui in Antiochia remanſerunt, cum

magna

magna tranquillitate & gaudio fuerunt, quouſq; dominum ſuum Podi-
enſem epiſcopum amiſerũt. Hic cum ſumma pax eſſet exercitui dei, men
ſe Iulio cœpit infirmari, ſed non diu ægrotauit, quia dominus non eſt paſ
ſus illum longa ægritudine cruciari. Calendas Auguſti ſancta eius anima Podienſis Epus
uinculis carnis ſoluta, translata eſt in Paradiſum dei, in ſedem glorioſam. moritur
In feſtiuitate ſcilicet ſancti Petri, quæ dicitur Ad Vincula: Et ut cenſura di
uini iudicij id actum clareſceret eſſe, in die quo principis Apoſtolorũ uin-
cula à Hieroſolymis Romam ſunt allata, ſoluta eſt à corporeis nexibus
pontificis anima. Nec unquam pro ulla tribulatione tantus fuit in illa dei
militia mœror, tantaq; triſtitia, quanta in morte illius. Hunc omnes de-
bito iure lacrymabãtur, quia conſilium erat diuinum, cõſolator mœren-
tium, ſuſtentator debilium, theſaurus indigentium, reconciliator diſcor-
dantium. Hic militibus dicere ſolitus erat. Si uultis eſſe triumphatores *Quid liberet*
& amici dei, mundiciam corporum cuſtodite, & pauperum miſeremini. *militem à mor*
Nulla enim res ita à morte uos liberabit, ſicut eleemoſina: quia & melius *te.*
protegit quàm parma, & acutior eſt in hoſtem quàm lancea. Qui nõ eſt
idoneus pro ſe orare, det eleemoſinã & orabit pro ſe. Pro his operibus &
huiuſmodi ſermonibus charus erat deo & omni populo. Si quis autẽ uel-
let omnium uirtutum eius catalogũ enumerare, hiſtoriæ modum exce-
deret. Hoc itaq; decenter in eccleſia beati Petri ſepulto. Comes ſancti
Egidij in terram Saracenorum tranſiit, urbemq; quàm Albariam uocãt
adijt. Quam undiq; forti milite circumcingens inuadit, diuq; miſſilibus
& ſagittis cũ his qui erant in mœnibus decertauit. Sed ut uidit ita ſe pro-
ficere parum, erectis ad murum ſcalis, loricati milites aſcenderunt, & in fu
gam ire compulerunt. Miles ut aſcendit murum, fit celſior hoſte, & hoſtis
ille fuit uiribus inferior, è muris deſcendũt. Huc illucq; ſenes fugiunt, pu
eri iuuenesq;. Sed prorſus nulli profuit ulla fuga. Præcepit enim comes,
ut omnes caperentur, & qui in Chriſtum credere nollent, decollarentur.
Illic uiſi ſunt plurimi capite plecti, plurimiſq; pueris cũ puellis ſubtracta
eſt uita longi temporis. Iudicium enim domini fuit hoc: quia Chriſtiano-
rum fuerat ciuitas illa, eiſq; ſimili mortis ludibrio ablata erat. Nullus
ex tanta multitudine reſeruatus eſt, niſi qui ſponte Chriſto confitens ba-
ptizatus eſt. Sicq; mundata eſt ciuitas illa, & ad cultum noſtræ fidei re-
uocata. Tunc comes cum ſuis optimatibus habuit cõſilium, ut in ea ordi
naretur epiſcopus, cuius conſilio & auxilio ciuitas regeretur, & fides Ieſu
Chriſti in cordibus nouiter baptizatorum ſolidaretur. Electus eſt igitur
uir ſapiens & magni nominis, literarũq; eruditione pollens, & utraq; ſci-
entia præditus, & ad ordinationem Antiochiæ eſt miſſus. Aeſtiuum
tempus ſolis ardore repreſſo cum iam tranſiret, noxq; diem horarũ nume
roſitate tranſcenderet, milites Chriſti ad Antiochiam remearunt, & in Ca

lendas Nouembris, die feſto ſolennitatis omnium ſanctorũ ibi conuenerunt. Et benedicta gloria regis æterni, quia tunc numeroſior fuit turba redeuntiũ, quâm fuerit cum ſe ab inuicẽ diuiſerũt. Ex cunctis enim mundi partibus ſecuti erant multi egregij milites & pedites priorum ueſtigia, quotidieq́; creſcebat Chriſtiana militia. Cumq́; in unum ita reſiderent, & de uia ſancti ſepulchri quo dirigerent iter diſponerẽt, Boamundus pactionẽ urbis requirit, quã ſibi ſpoponderant. Comes ſancti Egidij dicebat id non poſſe fieri propter ſacramẽta quæ per Boamundũ fecerant imperatori Conſtantinopolitano. Inde per dies plurimos factus eſt in eccleſia ſancti Petri conuentus, magnusq́; uerborum ex utraq; parte conflictus. Cumq́; in communi conuentu fieri nequiret ulla diffinitio quæ paci conueniret, epiſcopi & abbates, & conſilij ſeniores, duces & principes, locum in quo eſt cathedra ſancti Petri intrauerunt, & illic inter ſe diffinierunt, qualiter & Boamũdo ſeruarent promiſſa, & imperatori facta ſacramenta. Cum uero à loco cõſilij exierunt, conſilium tamen omnibus patefacere noluerunt. Itaq; domeſtico affatu reuelatum eſt conſilium comiti ſancti Egidij, & ipſe laudauit diſpoſitum. Ita tamen ut Boamundus pergeret cum eis iter cœptum. Boamundus requiſitus, idem laudauit, & uterq; in manibus epiſcoporũ, fidei aſtipulatione, ꝑmiſit, quod ab ipſis uia ſancti ſepulchri nunquã deſererẽt, neq; ꝓpter diſſidium ullum quod inter ſe habuerũt conturbarent. Tunc Boamũdus muniuit caſtellũ quod ſupereminet ciuitati, & comes palatiũ Caſſiani, & turrim quæ ſupra portã urbis eſt, à parte portus ſancti Symeonis. Quia uero nos longo narratiõis tractu Antiochia detinuit, noſtrosq́; peregrinos milites per octo menſes ſua obſidione fatigauit, nec ulla ui humana uel arte, uel ingenio, ſuperari potuit, de eius ſitu & magnitudine aliquid dicamus, eisq́; qui eam nunquã uiderũt aliq̃d inde aperiamus. Vrbem hanc, ut eius hiſtoria teſtatᷓ, ſexaginta quinq́; reges conſtituerunt: qui omnes eius principatui famulatũ ſubiectionis exhibuerũt. Circundatᷓ autẽ muris duobus: Prior eſt ex magnis lapidibus in quadrũ ſectis, & ſubtili artificio politis, & in eo ordinatæ & diſtinctæ ſunt in ſuis locis quadringẽtæ turres & ſexaginta. Hic ſe intuentibus uenuſtate ſuæ compoſitionis arridet: & ſpatioſus eſt latitudine nimis ampla. Continentᷓ intra ſepta murorũ quatuor mõtes magni & in altum eminentes. In altiore eorũ conſtructũ eſt caſtellũ, q̊d ita naturali poſitiõe munitᷓ, quod nec bellicoſum timet impetũ, nec cuiuslibet machinatiõis ingeniũ. Trecentas & ſexaginta eccleſias obtinet in ſui cõfinij agro, & patriarchas habet centũ quinquaginta & tres epiſcopos ſub principatu ſuo. Ab Oriẽte quatuor magnis mõtibus præmunitᷓ. Ab Occidẽte uero quodã flumine alluitᷓ cuius nomẽ Farfar dicitᷓ. Hanc Antiochus rex cũ ſuis, ut ſupra diximus, ſexaginta quinq; regibus cõſtituit, nomẽq; ei de ſuo nomine indidit. Hãc itaq; urbẽ regiã tamq́; famoſiſſimã obſederũt noſtri peregrini milites,

Antiochiæ urbis deſcriptio.

milites,per octo menſes & diem unũ & tribus hebdomadibus. Intus fuerunt incluſi à gente Parthorũ. Qua diuino ſuperata ſubſidio,poſtea quieuerũt in ea quatuor menſes & dies octo. Quibus explicitis,Raimũdus comes ſancti Egidĳ primus cũ gẽte ſua de Antiochia exĳt,& ad urbẽ quæ Rugia dicit̃ puenit. Alia die ad alterã uenit ciuitatẽ,quã nominauit Albariam. Has duas ciuitates cõpendioſa ſua militia ſuo ſubiugauerat impio, Chriſtiq́ꝫ mancipauerat ſeruitio. Quarto die uenit ad urbẽ quæ Marra nuncupat̃:quã Raimundus Piletus miles eius primus inuaſerat, ſed inde receſſit fortiter repulſus. Erat autẽ ciuitas illa populoſa, & ab omni gente quæ in circuitu erat nimis cõſtipata. Quæ gens aduerſa,ut noſtros eminus cõſpexit,q̃a ad comparationẽ ſui pauci eſſe uidebant̃, deſpexit, eiſq́ꝫ apto marte extra ciuitatẽ reſiſtere conata eſt. Sed ꝓtinus agnouerũt q̃d gens cõpendioſa & fortis præfert̃ temulẽtæ multitudini. Noſtri em̃ ut uiderũt illos ad reſiſtendũ paratos, clypeis pectoribus oppoſitis, lancearũq́ꝫ mucronibus præpoſitis,militari impetu in illos irrumpũt, ſicq́ꝫ ꝑ mediũ ſubeuntes diſrumpũt. Ibi cõfregit dominus potẽtias arcuũ,ſcutũ & gladiũ & bellũ,quia poſtquã res gladĳs agit̃,inutilis eſt arcus & ſagitta. Ilico fugam capiũt, & in ciuitatẽ ſtatim imminuto ſuorum numero, reuertunt̃. Sed illi potiſſimũ ex his malos regreſſus habuerũt, quos noſtri primo impetu inuenerũt. De noſtris equis plurimos ſagittauerũt, ſed de ſuis ſeſſoribus ad terrã deuolutis, multo plures reliquerũt. Ipſis itaq́ꝫ intra urbẽ receptis, noſtri ad iactũ ſagittæ unius tentoria ponunt. Excubita igit̃ nocte tota mane ſole oriẽte noſtri armis inſtructi, urbẽ undiq́ꝫ uallauerũt acerrimoq́ꝫ cõgreſſu inuaſerũt: Tela, ſudes, lapideſq́ꝫ uolant, igneſq́ꝫ faceſq́ꝫ ex quibus accendunt̃ in ciuitate tecta domorũ. Sed obſiſtente hoſtiũ immẽſa multitudine, illa die noſtri nihil præualuerũt, ſed laſſi ad tentoria remearũt. Ipſa die Boamũdus cũ gente ſua multiſq́ꝫ alĳs comitem ſecutus illuc ꝑuenerunt, & caſtrametantes undiq́ꝫ urbẽ uallauerũt. Quod uidentes qui introrſus erant, nimio terrore percellunt̃, omneſq́ꝫ portæ ciuitatis obiectu lapidũ ab eis obſtruunt̃. Acceperũt igit̃ comites conſiliũ inuicẽ; quoniã ex æquo non fiebat præliũ. Præcipiunt̃ fieri arietes, ferratæ ſcilicet trabes q̃ manibus militũ funibus appẽſæ & tractæ in murũ impellerent̃: & ſic crebris earũ ꝑcuſſiõibus muri deſtruerent̃. Facta eſt & lignea turris, lapideis turribus ſatis altior, & machinis om̃ibus quæ aderãt eminẽtior. Habebat aũt tria ſolaria quæ erãt bene ſcutis præmunita. In duobus ſuperioribus erãt loricati cũ telis & ſudibus & ſagittis, & lapidibus, pilis, & facibus Subtus erãt nihilominus armati q̃ rotas impingebãt, ſuꝑ quas ipſam turrim cõſtituerant. Alĳ quidẽ factã teſtudinẽ muro applicuerũt, & foſſatũ q̃d erat ingens adæquarũt, ut turrim muro poſſent iungere, & ipſius numine ꝓtecti, murũ ualerẽt ꝑforare. Quod ita factũ eſt: Sed miſeri ciues

contra fecerunt quoddam inſtrumẽtum, quo grandes lapides aduerſum turrim iaciebant, & etiam ignem græcum quo eam incenderent emittebant. Sed dei gratia protegente, omnis conatus eorum omnesq; machinationes fruſtratæ ſunt, & ad nihilum redactũ. Nam turris lignea ubi muro proxima fuit, omnes qui in illa parte muri erant, ut ſub ſe deſpiciẽs proſtrauit. Guuillermus de monte Pislermo, ipſe fuit cum multis aliꝭs in ſuperiori ſolario. Erat autem cum eo uenator quidam, nomine Euuardus, qui ſpiritu buccinandi erat præditus. Nam ſono tumultuoſæ uocis & aduerſarios exterrebat, & ſuos ad bella incitabat. Et dum Guuillermus cũ ſuis quæ circa ſe ſunt deuaſtat: nam miſſis molaribus ſaxis, ipſa domorũ tecta confringebat, qui ſub eo erant murum fodiebant: & aliꝭ ad muri propugnacula ſcalam erigebant, qua erecta, cum nullus auderet aſcenſionis prior eſſe, non pertulit quidam Bulferius de Daturre miles honeſtus, ſed incunctanter aſcendit murum, pluresq; uiri fortes ſecuti ſunt eum. Gentiles uero ut uiderunt eos ſuper murum aſcendẽtes, ira uehementi commoti ſunt, & undiq; in illos conſurgunt, tantumq; eos iaculis & ſagittis coartauerunt: ut quidam noſtrorum qui murum aſcenderant, ſeipſos ad terram deiecerint, & mortem quia euadere putabant, colliſi ad terram uenerunt. Quod cum uidiſſet clara iuuentus noſtrorum, Bulferium ſcilicet cum paucis pugnare ſuper propugnacula murorum, immemor ſui, ſed memor ſociorum, confeſtim aſcendunt, partemq; muri ſua multitudine cooperiunt. Stabant autem iuxta ligneam turrim ſacerdotes & leuitæ miniſtri domini, inuocantes propugnatorem ſuum Ieſum Chriſtum filium dei, & dicebant: Domine miſerere noſtri: Eſto brachiũ noſtrum in mane, & ſalus noſtra in tempore tribulationis. Effunde iram tuam in gentes quæ te non nouerunt, & in regna quæ nomen tuum non inuocauerunt. Diſperge illos in uirtute tua, & depone eos, protector noſter domine: Dum ſic ageretur, quod aliꝭ pugnabant, aliꝭ plorabant, & pſallebant, aliꝭ muros ſuffodiebant, Bulferius maiori pugna deſudabat: quia omnes aduerſariꝭ in eum & in eius conſortes, & ipſe cum ſuis contra omnes. Clypeus eius erat omnibus ſuis protectio fortis, his uidelicet qui erant in muro. Muri breuis & arta latitudo, ſociũ ſibi coniungi nõ admittebat: nec aduerſarium niſi unum uenire permittebat. Sed de Bulferio nullus hoſtiũ triumphauit: cum tamẽ ipſe de innumerabilibus triumphauerit. Propterea nemo illi iam occurſare præſumebat, q͞a infortuniũ quod aliꝭs enſe illius cõtigerat, unuſquiſq; ſibi metuebat. Tela, ſagittas, ſudes, lapides, illi iaciebant, tantumq; clypeum eius ex his onerauerant, ut ab uno homine leuari non potuerit. Iamq; fortiſſimus uir fatigatus erat, iamq; ſudores toto de corpore in terram defluebant, iamq; ut ei alter ſuccederet grandis neceſſitas exigebat: cum illi qui murum ſuffoderant,

derant, cum magno impetu intrauerunt, detruncãtes uniuerſos quos primitus inuenerunt. Qua inopinatę rei admiratione ſtupefacti ſunt omnes qui erant ſuper muros, & cito uitalis calor oſſa reliquit eorum, frigidus pauor poſſedit corda eorum. Quid faceret gens neci data, ſenſúq; priuata, quam ſui undiq; hoſtes urgebãt & intus & in muro. Bulferius enim qui paulo ante fatigatus deficiebat, nouas interim reſumpſerat uires: & iam non clypeo protectus aut galea, ſed enſem rubeum tenens in dextera fugientem celer inſequit̃ hoſtem. pluresq; mortificauit formidine quàm gladio, qui ſeipſos præcipitauerunt de muro: Erat autem ſuprã portam una turris quæ præſtantiſſima & fortior cæteris uideatur, in eam mandauit Boamundus ditioribus ciuibus per interpretẽ, ut fugerẽt: quoniã ipſe eos à morte liberaturus erat. Quod & illi fecerunt, ſeq; fidei illius crediderũt. Ceſſauit igitur tunc illa perſecutio, quia ultra protendi prohibebat ueſperi obtenebratio. Sabbatũ uero cum eſſet, nec uictoribus nec uictis poterat eſſe requies. Miſit comes circa urbem excubitores, & intus & extra, ne ullus fugeret, & ſpolia urbis ſecum auferret. In craſtinũ ut dies luceſcere cœpit, noſtri ad arma currunt, & per uicos & plateas, tectaq; domorũ ceu leæna raptis catulis, ſæuiendo diſcurrũt: Dilaniant, traduntq; neci pueros iuuenesq;. Quosq; grauat longæua dies, curuatq; ſenectus. Nulli parcebant, ſed plures, ut citius finirentur, laqueis ſuſpenderunt. Mira res mirumq; ſpectaculũ, quod tantæ gentis multitudo, & armata ſic impune occidebatur, quod nullus eorum reluctabatur. Quia uero noſtrorum erat quicquid quisq; reperiebat, ipſa mortuorum exta euiſcerabant, & nummos aureos inde eruebant. O deteſtanda auri cupiditas. Omnes uiæ urbis riuis ſanguinum inficiebantur, & cadaueribus cadentium ſternebantur. Et ô gens cæca, & omnino morti deſtinata: Nullus ex tanta multitudine fuit, qui nomini Ieſu Chriſti uoluerit cõfiteri Boamundus denique illos quos in turris palatio iuſſerat includi, ad ſe uenire iuſſit, annoſæq; ætatis mulieres & decrepitos ſenes, & inualido corpore imbecilles, præcepit interfici, puberes & maiuſculæ ætatis adultos, ualidoq; corpore uiros reſeruari, & ut omnes uenderet cõduci Antiochiam. Facta eſt autem hæc clades Turcarũ duodecimo die Decembris, in die dominica: nec tota tamen fieri potuit die illa. In craſtinum autem quicunq; in quibuſcunq; locis inueniebantur, eidem pœnæ capitis ſubijciebantur. Nullus erat locus in urbe tota, nullaq; fouea quæ eorũ cadaueribus ſeu cruoribus non eſſet inquinata. Vrbe igitur ſic adquiſita, & à rebellibus Turcis liberata Boamundus pacem comitis requiſiuit: ut ſcilicet Antiochiam totam ſibi redderet. Comes uero dicebat, id nullatenus ſine periurio poſſe fieri, propter ſacramentum, quod factum fuerat imperatori Alexio. Boamundus itaq; reuerſus eſt Antiochiam, ſuamq; ibi dimiſit ſocietatem.

tatem. Dietauit autem in illa ciuitate exercitus Francorum per menſem unum & dies quatuor: & in hac mora temporis obijt morte pretioſa epiſcopus Orienſis. Longo quidē tempore nimiumq́ prolixo hyemauerunt ibi: quia nihil quod emerent uel raperent poterat inueniri. Sicq́ famis iniuria compellente, contigit, quod etiam dictu horribile eſt, quod corpora gentilium in fruſta ſcindebant, & coquebant & comedebant. Hac igitur incommoditate permotus comes ſancti Egidij mandauit cunctis principibus, qui erant Antiochiæ, ut ad Rugiam ciuitatem conuenirent, & de uia ſancti ſepulchri, ibi inter ſe diſponerent. Illi quidem illic conuenerunt, ſed de quo & pro quo uenerant minime locuti ſunt, ſed de pace & concordia inter comitem & Boamundum colloquium habuerunt. Quibus minime conciliatis, omnes principes Antiochiam reuerſi ſunt, & comitem & uiam dimiſerunt. Remanſerunt autem cum comite non ſolum ſui, ſed & multa iuuentus, cui inerat ardor uiam perficiendi. Ipſe igitur plus in domino confidens quàm in principibus, ad Marram, ubi eum peregrini præſtolabantur eſt reuerſus, fuitq́ dolor magnus in omni exercitu Chriſtianorum de diſſenſione principium. Omnes quidem nouerant, quod pura iuſtitia cum Raimundo erat, nec ullus amor aut ambitio eum ad iniuſtitiam declinare poterat. Qui tamen ut uidit quod propter eum impediretur uia ſancti ſepulchri, admodum indoluit, & diſcalciatis pedibus à Marra uſque Capharda peruenit. Ibi quatuor diebus perendinatis, cum principes iterum conuenirēt, & de eadē re uerborū cōflictus haberent, dixit comes Raimūdus: Viri fratres & domini, qui ueſtris omnibus & uobis metipſis abnegaſtis propter amorem dei, oſtendite mihi an ſine periurio, poſſum cum Boamundo, ſi requirit, pacificari, aut ſi aliter fieri non poteſt, an pro amore eius debeam periurare. Cumq́ huius ſermonis iudex nullus eſſe præſumeret, & omnes concordiam laudarent, & quomodo fieri deberet non dicerent, ab inuicem diſceſſerunt & Antiochiam redierunt. Sed Normannus comes cum ſuis omnibus remanſit cum Raimundo, ſciens & intelligens quia iuſtitia erat cum eo. Igitur hi duo comites agmina ſua diſponunt, & ad Cæſaream tendunt. Rex enim Cæſareæ ſæpius ſignificauerat comiti Marræ & Caphardæ, quod cum eo pacē uellet habere, eiq́ de ſuo gratanter ſeruire. Hac enim fiducia illuc perrexerunt, & prope ciuitatem caſtra poſuerunt. Rex autem ut uidit agmina Francorum iuxta ſe poſita, uehementer obſtupuit, & indoluit, & ne illis ullum mercatum præſentaretur prohibuit. In craſtinum miſit comites duos de ſuis, qui eis uada fluminis oſtenderent, & ubi prædam capere poſſent conducerent. Erat autem nomen fluminis Farfar. Conduxeruntq́ illos in uallem ſatis idoneam, boniſq́ temporalibus locupletem. Huic præerat quoddam munitiſſimum caſtrum ſub quo inuenerūt uiginti millia animalium, in ualle fertili

Epiſcopus Orien moritur

tili paſcentium. Quæ omnia noſtri rapuerunt. Et cum caſtellum obſide-reuellent, illico caſtellũ & ſe reddiderunt. Pactumq́ huiuſmodi tenendi in perpetuũ fœderis cum comitibus habuerũt. In fide ſua promiſerunt, & ſuper legem ſuam iurauerunt, quod nunquam amplius nocerent Chriſtianis peregrinantibus, eisq́ ſicut & hominibus ſuæ gentis præberent mercatum & hoſpitium. Manſerũt autem ibi per dies quinq́. Sexto uero die oneratis camelis & iumentis, frumento, farina & oleo & caſeis, rebusq́ alijs ad edendum idoneis, gaudentes exierunt, & ad caſtellum quoddam Arabum peruenerunt. Dominus autem caſtelli ſapienti uſus conſilio, obuiam uenit comiti Raimundo, & pacificatus eſt cum illo. Inde uenerunt ad quandam ciuitatem, in quadam ualle ſpecioſa & ſpatioſa conſtitutam, muris & turribus bene munitam, & omni genere fructuum abundantiſſime refertam, quàm incolæ illi appellant Caphaliam. Huius urbis habitatores audito rumore Francorum perterriti, proprias ſedes deſeruerant, & ad alienas confugerant. Quippe infelicitas quæ contigerat Antiochiæ & Marræ, omnes perterruerat, & formidoloſos effecerat. Cumq́ noſtri tentoria circa eam uellent ponere, & in girum obſidere, mirati ſunt quod de tanta ciuitate non aliquis obuiam ueniebat, nemoq́ excelſis in in turribus aut mœnium propugnaculis apparebat, altumq́ ſilentiũ intus habebatur, nec ullius uocis ſonus audiebatur. Tunc miſerunt qui rem diligenter inquirerent, & inquiſitam renuntiarent. Illi autem profecti, cũ portæ propius acceſſiſſent, ianuam quidem apertam inuenerũt, ſed intus neminem eſſe uiderunt. Tunc ſcuta uultibus præponẽtes, cum aliqua adhuc cunctatione portas ſubeunt, ſed nec uiros nec mulieres nec aliquã beſtiam intus inuenerunt. Pulchros quidem apparatus ibi inueniunt, horrea ſcilicet frumento plena, torcularia uino redundãtia, arcas plenas nucibus, caſeis & farina. Tunc cito ad comites redeunt, & quid inuenerunt referunt. Non fuit ibi opus tentoria figere, quoniam deus faciebat illos, in labores illorum ſine ferro uel pugna introire: Ibi actum eſt, quod dicitur in prouerbijs Salomonis: Conſeruatur iuſto ſubſtantia peccatoris. Ibi inuenerũt hortos plenos oleribus & fabis, alijsq́ leguminibus iam ad præcocitatem maturantibus. Ibi quieuerunt tribus diebus: & cuſtodibus deputatis qui urbem cuſtodirent: quædam ardua montana conſcenderant, & in uallem deſcenderant. Erat autem illa uallis gratuita, & omnium frugũ fructuumq́ ubertate pleniſſima. Manſeruntq́ ibi per dies quindecim. Propter uallem erat caſtellum, Saracenorũ multitudine plenum. Quod cum die quadam noſtri aggrederent, Saraceni de muro proiecerunt eis multas pecudes, plurimaq́ animalia, putantes, quod noſtri nil aliud quærerent niſi uictum. Quæ noſtri grataanter receperunt, & ad tentoria conduxerunt. In die altera collegerunt papiliones & tentoria, & illuc caſtra direxerunt

Caphalia in ualle felicis ſoli.

I rexerunt

rexerunt,ſed cum illuc peruenerunt,ab omni gente uacuum inuenerũt. Illa
enim nocte omnes fugerunt: ſed magnam copiam frugum, & fructuum,
lactis & mellis dimiſerunt. Ibi celebrauerũt noſtri purificationem ſanctæ
Mariæ dei genitricis, glorificantes deum qui tanta bona miniſtrabat eis.

Rex de Camela ciuitate miſit comitibus nuntios ſuos, dum ibi erant,
rogans ea quæ pacis ſunt: præmittens dona cõcupiſcibilia, & equos & au-
rum. Miſit arcum aureũ, ueſtes pretioſas, & micantia tela. Quæ omnia
noſtri receperũt, ſed nil certi tunc illis renuntiauerunt. Rex Tripolis eo-
dem terrore permotus, miſit equos decem & mulas quatuor: ſimiliter ro-
gans ea quæ pacis ſunt. Sed dona quidem receperunt, illiq; quod nunquã
pacem cum illo haberent, niſi Chriſtianus efficeretur, nuntiarũt. Comes
enim ſancti Egidij multum deſiderabat terram illius, quia optima erat,
& regnum eius, quoniã præcæteris erat honorabilius. Ita quatuordecim
diebus expletis exierunt de optima ualle, & abierunt ad quoddã antiquiſſi-
mum caſtrum cui nomen erat Archas. Quod licet haberet uocabulũ
& nomen caſtri, tamen egregijs urbibus poterat æquiparari, & loci po-
ſitione, & clauſura murorũ, & eminentia turrium. In hoc propter fortitu
dinem gens magna confluxerat: quia nec arma, nec hoſtem, nec aliquod
ingenium metuebat. Hoc tamen celeri obſidione uallantes, cum feſtina-
tione aggreſſi ſunt: ſed eorum impetum caſtellani uiriliter ſuſtinuerunt.
Sæpius illos inuaſerunt cum omni genere telorum & tormentorũ, & nõ
præualuerunt, ſed magis quàm lucrarentur perdiderunt. Tunc quatuor-
decim de noſtris militibus otio uacare neſcientes, erga Tripolim perre-
xerunt, & ſexaginta Turcos inuenerunt, qui multos captiuos: & plus quã
mille & quinquaginta animalia rapuerant, & ante ſe ducebant. Quos ut
noſtri uiderunt licet perpauci eſſent, in cœlum manus protendentes, re-
gemq; ſabaoth inuocantes, militariter inuaſerũt, & domino adiuuãte ſu
perauerunt. Sex de illis ceciderunt & eorum equos retinuerunt, & ouan-
tes ad caſtra cum immenſa lætitia & præda remearunt. Ingens gaudium
fuit in omni exercitu de paucorũ magna uictoria, & multa rapina. Cumq;
hæc uiderent alij, exierunt plures de exercitu Raimundi zelo probitatis
accenſi, quibus præfuerunt Raimundus Piletus, & Raimundus uiceco-
mes, ſicq; armis & uexillis in altum protenſis, equitauerunt aduerſus ciui
tatem quæ Tortoſa dicitur. Ad quam peruenientes forti impetu aggre-
diuntur, ſed illa die nihil fecerunt: nocteq; ſuperueniente in quendam an-
gulum ſeceſſerunt: Feceruntq; tota nocte immenſos ignes, ac ſi totus ad-
eſſet exercitus Chriſtianorum. Quibus flammarum globis gens quæ e-
rat in ciuitate perterrita, exiſtimãtes quod noſtri omnes adeſſent, omnes
ſubito confugerunt: ciuitatemq; plenam bonis opibus reliquerunt. Eſt
autem ciuitas illa ab omni neceſſitate prorſus aliena, ut in optimo portu
pelagi

pelagi conſtituta. In craſtinum cum noſtri ad eam expugnandam ue-
nerunt,omnino uacuam inuenerũt. Summas igitur laudes deo referen-
tes, intrauerũt eam,& quandiu apud Archas durauit obſidio, ibi reman-
ſerunt. Eſt autẽ & alia ciuitas non longe ab ea,quæ dicit̃ Maraclea:cuius
princeps pacem cum eis iniịt, ipſosq́ & eorũ uexilla in urbem recepit. O
mira dei uirtus, mirãdaq́ potentia. Cum procul abeſſent principes,qui ui-
debantur regere populũ & ſuſtẽtare,per pauciores & minores cœpit do
minus etiã ipſos reges ſuperare. Ne dicat humana præſumptio. Nos An-
tiochiam aliasq́ urbes ſubegimus: nos tot ac tanta bella deuicimus. Quia
pro certo nunquã ſuperaſſent, niſi cum eis fuiſſet ille per quem reges re-
gnant. Cum uero dux ducum & miles militum Gothefridus audiſſet
felices euentus, inſignesq́ triumphos pugnantiũ,zelo uictoriæ animatus.
Tunc primum tam ipſe quàm Flandrenſis comes & Boamundus, caſtra
ab Antiochia mouerũt,& ad Iciam ciuitatem uenerũt. Ibi quippe diuiſit
ſe Boamundus ab eis & ab omni exercitu dei. Dux autẽ & comes ad urbẽ
quæ Gibellũ uocat̃ acies ſuas direxerũt, eamq́ obſidione cinxerũt. Illa ſi-
quidẽ hora, uenit nuntius ad comitẽ ſancti Egidịj, quod Turcæ præpara
rent ſe ad pugnandũ contra eum, eſſetq́ futurum bellum graue nimis &
permaximũ. Protinus comes miſit nuntiũ duci & Flandrenſi comiti,ut ce
lerrime ad illud uenirẽt præliũ,eiq́ auxiliũ ferrent. Quod ubi dux auduit,
principi ciuitatis pacẽ,quam ſæpe iam quæſierat,pollicitus eſt. Pace igit̃
facta, pactæq́ ꝓmiſſionis muneribus receptis, ad ſperatũ bellum cõuola
runt,& ad obſidionẽ,quæ erat ad ſupradictũ caſtrũ,conuenerunt,& in al-
teram fluminis ripam caſtra poſuerũt. Sed cum dux uideret quod nihil
ꝓficeret,contra Tripolim direxit acies, cunctosq́ ibi paratos reperit ho
ſtes. Tenſis arcubus noſtris hoſtes ſe oppoſuerunt: ſed noſtri præiectis
clypeis arcus eorum & ſagittas uelut ſtipulas cõtempſerunt. Pugna itaq́
committit̃,ſed nõ æqua lance, quoniam tractis ſagittis illi,ut eorũ conſue
tudo eſt,fugere uoluerunt,ſed noſtri inter ipſos & ciuitatẽ obſtaculum ſe
poſuerunt. Et quid pluribus utar uerbis. Tantum ibi humani ſanguinis
fuſum eſt,quod aqua rubicunda facta eſt,quæ in ciuitatẽ fluebat:& eorũ
ciſternas replebat. Nobiliores ipſius ciuitatis ibi occiſi ſunt. Qua cæde per
acta,noſtri minime cõtenti, quia nihil ibi lucrati erãt,niſi tela & indumen
torum ſpolia,in ſupradictã uallem cucurrerũt, & abſq́ numero oues, bo
ues, aſinos, diuerſiq́ generis pecudes deprædati ſunt: & tria millia came-
lorum ſimul rapuerunt. Tanta copia beſtiarum unde conuenerit, noſtri
uehemẽter mirati ſunt. Quia in eadem ualle quindecim diebus hoſpitati
fuerunt. Illi tanta rapina redeunt ad caſtra. Nulla unquam inopia fuit in
obſidione illa, quia naues ad quendam portum ueniebant, quæ omnia ne
ceſſaria afferebãt. Dominicum paſcha celebrauerunt ibi: quod fuit tunc

 quarto

quarto idus Aprilis. Durauit autem illa obſeſſio tribus menſibus, una die minus. Fuit autē ibi mortuus Anſellus de Ribodi monte, uir permulta laudabilis, & in ſuo militari ordine præcipuus. Qui dum in mūdo fuit, multa digna relatu peregit, quibus illud præferendū eſt, quod Aquiſcingenſis cœnobij indefeſſus adiutor in omnibus extitit. Similiter ibi mortuus eſt Pontius Balonēſis: cuius tēpora pforauit ictus lapidis, tormēto iaculati. Vuillermus Picardus & Buarinus de Petra Mora, primus iaculo, alter obijt ſagitta. His uita functis, obſidionem illam noſtri dimiſerunt, qa illud inexpugnabile caſtrū nullam timebat uiolentiā impugnantium. Ad Tripolim igit̄ pergūt, & pacem à rege & ciuibus diu quæſitam ſtabiliūt. Datis igit̄ inuicem dextris, fidei illorū in tantum ſe pceres cōmendauerūt, ut uſq; ad palatium regis ciuitatē introierint. Rex autē ut fiducia pacis tenendæ ex ſua parte certior crederet̄, trecentos peregrinos ex noſtris diſſoluit à uinculis, & pceribus donauit. Dedit & quindecim millia Biſanteorum, & quindecim equos multa honeſtate præditos, miſitq; omni exercitui copioſum cōmeatum, quod omnino liberauit illos ab omni neceſſitate. Pepigit etiā & iurauit illis ut ſi Hieruſalem ſibi poſſent adquirere, & bellū quod eis Admirauiſus Babiloniæ inferre minabat̄ ſuperare, Chriſtianus efficeret̄, & regis Hieruſalē ditioni ſubiceret̄. Fuerunt autē apud Tripolim per dies tres. Videntes autē proceres & uiri bellatores, q̄d iam tempus nouarum frugum inſtabat, cōcordati ſunt, ita ut Hieroſolimitanum iter ex toto arriperēt, & omiſſis omnibus, rectiorē uiam tenerent. Erat autem dies Maij quarta, cum de Tripoli exierunt & per quadā ardua montana aſcendentes ad caſtrum, cui nomē Betelon, peruenerunt. Altera die uenerunt ad urbem quæ dicit̄ Hebaris, in cuius cōfinio nihil aquæ potuit inueniri, qua extingueretur eorum nimia ſitis. Aeſtus quippe erat, & equi & omnis hominum multitudo ſitiebat. In craſtinum uenerunt ad flumen, cui nomen Braim. Ibi igit̄ pernoctauerunt, & ſitim ſuam depoſuerunt. Nox ſubſequēs fuit dominicæ aſcenſionis. Et ipſi aſcenderunt montem, in quo erat uia nimis anguſta, in qua putauerunt occurrentes inuenturos ſe hoſtes, ſed deus qui dux eorum fuit ſolus, & nō erat cum eis deus alienus, fecit eos inoffenſos tranſire. Tunc uenerunt ad urbem Baruth ſupra mare ſitam: deinde ad aliam, quæ uocatur Sagitta. Poſt hæc, ad aliā quæ Sur dicitur. Deinde ad Accarona: de Accarona ad caſtrum, cui nomen Carphas, & ſic ad Cæſaream. Eſt autē Cæſarea inſignis ciuitas Paleſtinæ, in qua Philippus Apoſtolus dicitur domum habuiſſe, quæ uſq; hodie monſtratur: nec non & cubiculum filiarum eius prophetantiū. Eſt autē in littore maris ſita, olim Pirgos, id eſt turris Stratonis, appellata. Sed ab Herode rege nobilius & pulchrius contra uim maris utilius extructa. In honorem Cæſaris Auguſti Cæſarea eſt cognominata. Cui etiā in ea

Cæſarea ciuitas.

in ea templum albo marmore conſtruxit: in quo nepos eius Herodes eſt
ab angelo percuſſus. Cornelius Centurio baptizatus & Agabus propheta
zona Pauli eſt ligatus. Iuxta illam noſtri ſua tentoria fixerunt: & ſanctum
domini Pentecoſten celebrauerũt. Deinde uenerunt ad urbem Romolã
quàm Saraceni propter metum dimiſerãt uacuam: Iuxta quam erat illu/
ſtris eccleſia ſancti Georgij martyris, in qua ſanctiſſimũ eius corpus requi
euit: quo in loco ipſe pro Chriſti nomine martyriũ ſuſcepit. In ea milites
Chriſtiani pro ueneratioue militis Chriſti epiſcopũ elegerunt, electum
conſtituerũt, conſtitutum decimis omniũ diuitiarum ſuarum ditauerũt.
Et dignum erat ut Georgius inuictus miles eorũ militiæ ſignifer, iſtum
ab eis honorem reciperet. Remanſit itaq; illic epiſcopus cum ſuis, diues
auro & argento, equis & animalibus. Et ad ciuitatẽ ſanctam Hieruſalem
direxit iter Chriſtianus exercitus, in uirtute nominis illius, qui in ea mor/
tuus iacuit, & die tertia reſurrexit, cui eſt cũ patre & ſancto ſpiritu æqua
poteſtas & gloria interminabilis, Amen.

Roberti Monachi libri ſeptimi finis.

ROBERTI MONA-
CHI DE CHRISTIANORVM PRINCI PVM BELLO CONTRA TVRCAS,
Liber octauus.

O BONE Ieſu, ut caſtra tua uiderunt, huius terrenæ Hie
ruſalem muros, quantos exitus aquarum oculi eorum
deduxerunt. Et mox terræ procumbentia ſonitu oris &
nutu inclinati corporis ſanctum ſepulchrum tuum ſalu/
tauerunt: & te qui in eo iacuiſti, ut ſedentem in dextera
patris, ut uenturum iudicem omnium, adorauerũt. Ve
re tunc ab omnibus cor lapideum abſtuliſti, & cor carneum cõtuliſti, ſpi/
ritumq; ſanctum tuum in medio eorum poſuiſti. Itaq; cõtra inimicos tu
os qui erant in ea, iam ſcilicet à longe poſiti, pugnabant, quoniam ad auxi
lium ſuum ita te concitabant, & melius lacrymis, quàm iacula in torquen
do, pugnabãt, quæ licet in terram defluerent, ubertim tamen ante te pro
pugnatorem ſuum conſcendebant. Qui ab oratione ſurgentes, ad regalẽ
ciuitatẽ properarunt, inimicos regis æterni intus inuenerunt, circa quos
tali ordine caſtra ſua poſuerunt. A ſeptentrione caſtrametati ſunt duo co
mites, Normannus & Flandrẽſis: iuxta eccleſiã ſancti Stephani ꝓthomar
tyris: ubi lapidatus eſt à Iudæis. Ab occidente dux Gothefridus & Tancra

dus. A meridie uero comes ſancti Egidij, ſcilicet in monte Sion circa eccleſiam ſanctæ Mariæ matris domini, ubi dominus cœnauit cum diſcipulis ſuis. Tentorijs igit̃ circa Hieruſalē ita diſpoſitis, dum uexatiōe itineris fatigati, requieſcerent, & machinas ad expugnandā urbem præpararent. Raimundus Piletus, & Raimūdus de Taurina, & alij quàm plures de caſtris egreſſi ſunt, ut finitimam regionem luſtrarent, ne ſcilicet hoſtes improuiſi ſuper illos uenirent, & inparatos inuenirent. Inuenerūt itaq; ducentos Arabes, & pugnauerūt cum eis, & ſuperauerūt eos, & plures occiderunt, & equos triginta inde habuerunt. Quarto igitur idus Iunij, aggreſſi ſunt Hieruſalem Chriſtiani, ſed eodē die nō præualuerūt. Nec tamē fuit labor inanis. Ita etenim antemurale proſtrauerūt, ut ad maiorē murum ſcalam unam erexerint. Et ſi tunc ſcalarū copiam habuiſſent labor ille primus ultimus fuiſſet. Nā illi qui p̄ ſcalā aſcenderūt, cū hoſtibus diu cominus iacul s & enſibus decertauerūt. Multi de noſtris in illo cōflictu mortui ſunt, ſed multo plures ex eis. Hora ueſperi bello incompetens diremit litē, & nox ſupueniēs utriſq; cōtulit quietē. Repulſo ſiquidē iſta, grauē & nimis longū laborē intulit noſtris, quia panes inuenire nō poterāt ad edendum per interualla decē dierū, quouſq; naues eorū onuſtæ ad portū Iaphiæ uenerūt. Et nimia ſitis preſſura illos attriuit, q̄a Syloæ quæ ad montis radicem Sion oritur non poterat niſi uix ſolos homines adaquare. Equi uero & cætera animalia ad adaquandū ducebant̃, per ſex miliaria, & tunc cum magna militum cuſtodia. Vnde & cara erat aqua inter eos, & caro uendebatur pretio magno. Conſilio igit̃ inito, elegerūt milites qui ad naues irent, eaſq; ab extranea gente cuſtodirent. Itaq; ſummo diluculo diei egreſſi ſunt centū milites, de exercitu comitis ſancti Egidij, Raimundus ſcilicet Piletus, qui ſemp̄ fuit omni labori militiæ domeſticus, & prorſus otio peregrinus, & cū eo alter Raimundus de Taurina, & Archadus de monte Merulo, Villermus etiā Sabratēſis. Exibāt ut ad bellū parati ad portū maris. Et dum irent, triginta ex eis diuiſerūt ſe ab alijs, ut ſemitas uiarū diſcerent, & utrū inuenirēt hoſtes explorarēt. Cumq; paululum itineris p̄ceſſiſſent, ſeptingentos Turcas & Arabes eminus conſpiciunt, quos, licet perpauci eſſent, incunctanter tamen inuadunt. Sed numeroſitas inimicorū tanta fuit, ut paucitas noſtrorū reſiſtere nō potuerit. Noſtri tamen quos in primo impetu offenderūt, neci p̄petuæ deſtinauerunt. Sed cū facto illo cōgreſſu, recedere poſſe æſtimauerūt, circūuallati multitudine, uelle ſuū implere nō potuerūt. Tunc ibi mortuus eſt Archadus uir bellator fortis & egregius, & quidam ex peditibus. Antequā uero bellū incip̄et, nūtius equo celeri ad Piletū cucurrerat, q̄ Arabes & Turcas noſtros inuaſiſſe nuntiarēt. Quod ut Piletus audiuit, abſq; mora equum calcaribus urgens, ſero illuc p̄uenit. Iam em̃ Archadus mortuus erat, q̄ tñ

ante

antequam diſcederet uitam ſuam multo ſanguine, & mortem morte plurimorum commutauit. Vt uero noſtros illi eminus proſpexerunt, ut fugere accipitrem penna trepidante columbæ aſſolent: ſic illi fugiunt, & terga noſtris dederũt. Noſtri uero perſecuti ſunt illos, & multos occiderũt. Et unum ex eis uiuum retinuerũt, qui Turcorũ dolos eis referret, & quid machinarentᷓ mali prænuntiaret. Retinueruntq́ʒ ab eis centum & tres equos, quos miſerũt ad caſtra. Et ipſi ad naues iniũcta pficiunt mãdata. Famem quippe naues cibis onuſtæ extinxerunt, ſed uehementẽ ſitim extinguere non potuerunt. Tanta quippe ſitis erat in obſidione, ut tellurẽ cauarent, & glebas humectiores ori apponerent: rorantiaq́ʒ marmora lamberent. Coria boum & bubalorum, aliorumq́ʒ animalium recentia, ſuebant, & cum adaquandos equos ire diſponerent, uſqʒ ad ſex millia milites armati pergebant. Tunc ea, aqua implebant, & ad caſtra referebant, & ex illa impura aqua bibebãt. Pleriqʒ pro ut ferre poterant ieiunabant: quia ieiunia ſitim temperabant. Et quis crederet, quod fames proficeret: ut dolor dolorẽ expelleret? Dum ea paterẽtur, proceres à longo terræ ſpatio ligneas trabes adduci faciebant, quibus turres & machinæ fierẽt, quæ ciuitatem expugnarent. Quibus adductis, dux ducum Gothefridus ſuam turrim conſtruxit: & ab Orientali plaga adduci præcepit. Et contra uenerandus comes ſancti Egidij conſimile caſtrum ſtatuit, & à meridiana plaga applicuit. Quinta feria ieiunia noſtri celebrauerunt, & pauperibus eleemoſinas diſtribuerunt. Sexta uero feria aurora ſereno lumine coruſcante, turres egregij bellatores aſcendunt, & ſcalas mœnibus apponunt, Stupent & contremiſcunt adulterini ciues urbis eximiæ, cum ſe uident circũuallari tanta fortitudine. Qua uero ſupremum diem ſibi imminere uidebant, & mortem ſuper capita ſua dependere, acriter cœperunt reſiſtere, & ſicut iam de morte non dubij propugnare. Illic eminebat in ſua turri dux Gothefridus, non tunc miles, ſed ſagittarius. Cuius manus ad prælium & digitos ad bellum dominus dirigebat, quoniam ſagittis iactis, inimicorum pectora, & utraqʒ latera perforabat. Iuxta quem fratres eius Euſtachius & Balduinus, uelut duo iuxta leonem leones, & duros ictus iaculorum & lapidum ſuſcipiebant, & quadruplici fœnore compenſabant. Et quis omniũ inuictos animos referre ualeret, cũ omniũ qui nũc ſunt oratorũ facundia tantis minime laudibus ſufficeret. Tota itaqʒ die alternis ictibus decertatũ eſt: Sed ut appropinquauit hora, qua ſaluator oĩm crucẽ ſubijt: miles quidã, noĩe Lutoldus, de caſtro ducis primus inſiluit, poſt quẽ Vuickerus, q leonẽ ppria uirtute proſtrauit, & occidit. Statim dux milites ſuos ſequitᷓ, & omnes alij milites ducẽ ſuũ. Tunc uero arcus & ſagittæ dimittuntur, & fulminei enſes arripiuntur. Quibus uiſis hoſtes illico murum deſerunt, & ad terram dilabuntur, & milites

Hora qua chriſtus crucifixus eſt capitur Hieruſalem.

Chriſti

Chriſti celeri greſſu cum magnis uocibus perſequuntur. Quas uoces cum audiret comes Raimundus, qui caſtrũ ſuum muro propius adponere geſtiebat, protinus intellexit Francos eſſe in urbe, ſuisq; militibus ait. Quid hic ſtamus? Francigenæ urbẽ obtinent, magnisq; uocibus, & ictibus perſonant. Tunc celeri greſſu cum ſuo comitatu perrexit ad portam, quæ eſt ſecus turrim Dauid, & uocauit eos qui in arce erant, ut aperirent.

Protinus Admirauiſus qui turrim cuſtodiebat, ut cognouit quis eſſet, ianuam ei aperuit, ſeq; ſuosq; & ſua fidei eius commendauit, ut ſe tueret. Sed comes dixit, quod id nunquam faceret, niſi ſibi turrim dimitteret. Qui ei aſſenſum gratanter tribuit: & comes illi, ut petebat omnem fiduciam ſpopondit. Dux uero Gothefridus, non arcem, non aulam, non aurum, non argentum, non ſpolia, ambiebat: ſed cum Francis ſuis, ſanguinẽ ſeruorum ſuorum, qui in circuitu Hieruſalem effuſus fuerat, ab eis uindicare ſatagebat. Et irriſiones & contumelias quas peregrinis intulerant, ulciſci cupiebat. In nullo autem bello talem habuit occidendi facultatem: nec ſuper pontem Antiochiæ, ubi occidit hoſtes plurimos fortiſſima manu. Nunc uero abſq; ulla refragatione, tam ipſe quàm Vuickerus, qui medium ſecuit leonem, multaq; electorum militum millia, à capite uſq; ad pedes ſecabant humana corpora, & dextra leuaq; per utraq; latera. Fugere enim hoſtium nemo poterat, quoniã multitudo à ſe ipſa in ſeipſa perplexa, ſibimet impedimento erat. Qui tamen de tantæ cladis atrocitate elabi potuerunt, templum Salomonis intrauerũt, & ſe ibi longo diei ſpatio defenderunt. Sed cum iam dies inclinari uideretur, noſtri timẽtes ſolis occaſum, animoſitate concepta, adita templi irrumpunt, eosq; miſera morte peſſundarunt. Tantum ibi humani ſanguinis effuſum eſt, ut cæſorum corpora, unda ſanguinis impellente natarint per pauimentum, & brachia ſiue truncatæ manus ſuper cruorem fluitabãt. Hac itaq; inenarrabili cæde peracta, aliquantulum naturæ indulſerunt, & plures ex iuuenibus tam uiros quàm mulieres uitæ reſeruauerunt, & ſuo famulatui mancipauerunt. Mox per uicos & plateas diſcurrrentes, quicquid inuenerũt rapuerũt, & quod quiſq; rapuit ſuum fuit. Erat autem Hieruſalem tunc referta temporalibus bonis, nec aliquo indigebat, niſi ſpiritalibus delitijs: adeò ut nullus tunc peregrinorũ in ea pauper remãſerit. Tantis itaq; ditati diuitijs, ad ſanctum domini ſepulchrũ læto inceſſu perrexerunt: & ei qui in eo ſepultus fuit gratias referentes, bona ſua obtulerũt. Ipſa die, ſicut per prophetã fuerat prædictũ, ſepulchrum domini fuit glorioſum: cum omnes nõ inceſſu pedum, ſed poblitum & cubitorum proni incedebãt: Et pauimẽta imbre lacrymarum inundabãt. Hac itaq; oblatione ſolenni deuotione cõpleta, ad domos ſuas, eis adeò deſtinatas, redierunt: & naturæ neceſſarijs indulgẽtes, feſſis corporibus cibum & ſomni requiã tradiderũt.

In craſtinum

In craſtinum enim cum caput aurora terris oſtenderet, ne ullus in urbe lo
cus hoſtibus remaneret, armati ad templũ Salomonis cucurrerũt, ut ſcili
cet illos delerent, qui ſupra templi faſtigia aſcenderãt. Maxima enim illuc
copia Turcarũ conſcenderat, quæ libentius fugiſſet, ſi ſumptis alis uolare
potuiſſet. Sed quibus nãtura alas negauit, miſera uita infelices exitus do-
nauit. Vt enim noſtros exaduerſo ſibi occurſari ſupra tẽplum uiderunt,
obuiã nudis enſibus ueniebant, malentes citiſſima morte occũbere, quàm
miſeræ iugo ſeruitutis longiſſime perire. Nam ſe terræ præcipites dabãt,
& ad terrã quæ cunctis mortalibus uitæ præbet alimenta mortẽ inuenie
bant. Nec tamen omnes ceciderunt: ſed ſeruituti ſuæ plurimos reſeruaue
runt. Tunc conſtitutũ eſt ut ciuitas mundaret, & iniunctũ eſt Saracenis
uiuis, ut mortuos foras extraherent, ciuitatemq́ꝫ ab omni ſpurcitia tanti
morticinij prorſus mundarẽt. Qui protinus iuſſis obtemperantes, & luge
bant & extrahebãt. Membra truncata in ſportis colligebãt, & foris defere-
bant, & pauimẽta templorũ, domorumq́ꝫ à ſanguine aqua eluebant.

Eliminatis itaq́ꝫ omnibus inimicis, de urbe pacifici nominis, de ordi-
nando rege, quæſtio debebat agitari, ut ſcilicet unus ex ipſis omnibus elige
retur, qui tantæ urbi tantoq́ꝫ populo præficeret. Cõmuni igĩt decreto o-
mnium, pari uoto, generaliq́ꝫ aſſenſu dux Gothefridus eligĩt: octauo ſcili-
cet die quo ciuitas expugnat̃. In quo bene ſenſus omniũ cõuenire debuit,
quia in illo regimine talem ſe exhibuit, ut ipſe magis regiam dignitatem,
quàm regia dignitas ipſum cõmendarit, ſiue enim regias corporis dotes
ſiue pluſquã regia animi ornamẽta ſpectemus in digniſſimũ illam urbis
Hieroſolymitanæ poteſtatem collatã fuiſſe fatebimur. Congruũ quoq́ꝫ
deinceps erat, ut qui ſibi gubernatorẽ corporum decenter & decentẽ ele-
gerant, rectorẽ animarum pari modo ſibi proponerent. Elegerunt itaq́ꝫ
quendã clericum nomine Arnulfum, diuina & humana lege bene eruditũ.
Eius ſiquidẽ electio facta fuit in feſtiuitate ſancti Petri Aduincula, quæ
feſtiuitas bene congruit immaculatæ ciuitati, quæ dæmoniacis nexibus
diu fuerat alligata: quoniã ipſo die quo dignũ habuit ſacerdotẽ libera fu-
it & abſoluta. His, ut præfatũ eſt bellorum conflictibus gens Gallica-
na fines Orientis penetrauit. Et ab immundicijs gentilium, quibus per an
nos circiter quadraginta Hieruſalem fuerat inquinata, diuina opitulante
gratia, emundauit. In qua ſacerdote canonice cõſecrato, & rege ſublima-
to, Francorũ celebre nomen omni orienti innotuit: & omnipotẽtia Ieſu
Chriſti in ea crucifixi mentibus etiã infidelium reſplenduit. Quo ſplen
dore intentis gratiæ, cum ſacerdotis ac regis ordinatio ſolenni gaudio fu
iſſet exhibita, nuntij de Neapolitana urbe ad regẽ Gothefridũ uenerunt:
ciuiũ ſuorũ mandata ferentes, ut ad ipſos, ſcilicet de ſuis, mitteret, & ciues
& ciuitatẽ eorũ in ſuum regimen, ſuamq́ꝫ ditionem reciperet: magis affe-

Gothefridus Dux ducum Rex Hierosolimitanus eligitur

ctantes eius quâm alterius principis principatum. Eſt autem ciuitas Neapolis Cariæ, quæ eſt prouincia Aſiæ. Rex accepto conſilio, miſit ad illos Euſtachium fratrem ſuum, & Tancradum, cum magna manu militum & peditum. Quos illi cum magnæ uenerationis officio ſuſceperunt, & ſeipſos & ciuitatem in eius ditionem tradiderunt. Cum hæc ita fieri inciperent, ille tortuoſus & lubricus anguis, qui fidelium ſemper inuidet felicitati, titulum ſcilicet Chriſtiani nominis ita ampliari, & regnum renouatæ Hieruſalem ita dilatari, admodum indoluit. Et Clemẽtem imò dementem Admirauiſum Babiloniæ contra ipſos felle commouit, & cum ipſo omnem Orientem excitauit. Sperauit etenim totius malitiæ præſumptor, omnes illos & urbẽ delere, & memoriã dominici ſepulchri funditus abolere. Sed ſicut cogitationes hominũ uanæ ſunt, ita & potentiæ euaneſcunt. Collegit igitur quicquid potuit hominũ, & pompoſo apparatu Aſcalonam peruenit. Quo cum perueniſſet, nuntius ad regem feſtinus uenit, & rem ut erat ei intimauit. Nec poſt moram longam rex ad illos quos miſerat miſit, ut uidelicet feſtinarẽt ad bellum uenire: quod præparauerat Admirauiſus Babiloniæ. Ipſe enim iam cum innumera gente Aſcalonæ erat, & Hieroſolymam obſidere parabat. Quod ubi Euſtachius & Tancradus, cæteriq́ uiri bellatores audierunt, imminens belli negotium Neapolitanis ciuibus oſtenderunt: & uale eis dicentes, cũ bono gaudij & amicitiæ diſceſſerunt. Noſtri quippe Turcarum occurſum deſiderantes, montana conſcenderunt, & tota die ac nocte inſomnes & inquieti Cæſaream peruenerunt. In craſtinum iuxta mare ambulauerũt, & ad quandã urbem quæ Ramola dicit̃ peruenerunt, multosq́ ibi Arabes, qui belli præcurſores erãt, inuenerunt. Quos fortiter noſtri inſequẽtes, plures ex eis apprehenderũt, qui ipſis omnẽ belli apparatum in ueritate aperuerũt. Qua re comperta, nuntios uelocibus equis inſidentes, regi ſtatim miſerunt, ut omnes abſq; dilatione commoueret: & contra Aſcalonam ad bella procederet. Eſt aũt Aſcalona ciuitas inſignis paleſtinæ, uiginti quinq; miliarijs diſtans ab Hieroſolyma: quam quondã Allophili cõdiderunt, & Aſcalonã ex nomine Ceslon qui fuit nepos Cham & filius Meſraim, uocauerũt. Fuit autem ſemper aduerſatrix Hieruſalem, & cum uicina ſit, tamẽ nulla unquam familiaritate coniungi uoluit. In hac igitur Admirauiſus Babyloniæ erat, cum nuntij ad regem uenerũt, & quæ ſupra diximus retulerunt. Rex autem ut audiuit, patriarcham conuocari præcepit, & ab eo conſilium accepit, ut per totam ciuitatem præciperetur, quo in craſtinũ ſummo mane omnes ad eccleſiam conuenirent: ut poſt ſacras preces dominici corpori Euchariſtiã perciperent, & ad bellum uerſus Aſcalonã equitarent. Rumor iſte minime perturbauit animos audientium, ſed nox ſubſequens uiſa eſt illis tardior, ſucceſſu protenſior cæteris extitiſſe. Vt primum

mum

mum matutina caput aurora leuauit, ad ſacra cunctos reſonans campana uocauit. Poſt ad deum preces populus domino ſociat. Quæ benedícũtur, ſacra munera dei capiunt. Exit ab eccleſia plebs, atq; cucurrit ad arma. Et ieiuna ſuum contraria pergit ad hoſtem. Claſſica tubæq;, poſtquã rex exit ab urbe, inſonuere ſimul: quorum clangoribus, omnes in circuitu montes, cum uallibus moueri uidebantur. Terroreq; ſuis inimicis incutiebãt. Ita procedunt ad prælium Chriſtianæ acies deum uictorem belli, corpore & mente geſtantes. & propterea nõ terrentur hominum ulla multitudine, quia non confidunt in ſua, ſed in ipſius uirtute. Patriarcha quidem dereliquit uices ſuas Petro eremitæ, ut ſacra ordinaret, orationes cõſtitueret, & proceſſiones componeret ad ſepulchrũ, ut deus homo, qui in eo iacuit, populo ſuo fieret in præſidium. Cumq; rex cum ſuo exercitu ueniret ad flumen, quod eſt circa Aſcalonam, inuenit ibi multa millia boum, camelorum, aſinorum, mulorum, & mularum: Quæ non ſolum erant de ciuitate, ſed & cum exercitu Admirauiſi uenerant. Quæ omnia centum Arabes cuſtodiebãt, ſed ut primum noſtros uiderũt, & prædam eis dereliquerunt, & fugæ refugiũ ſibi quæſierunt. Noſtri uero pſecuti ſunt illos, ſed apprehẽdere nõ potuerunt niſi duos. Prædam autẽ uniuerſam rapuerunt, & Hieruſalẽ ex ea copioſe ditauerũt. Rex quidẽ die iam aduesperaſcẽte uociferari præcepit, p uniuerſum agmẽ, ut omnes quieſcerẽt, & primo diluculo cõſurgerent, ſeq; bello præpararẽt. Patriarcha uero anathematizauit omnes, q in illo cõflictu aliquid raperent, ante conſecutã uictoriã. Nocte igit̃ tranſacta aurora ſolito clarior incanduit, & noſtros à ſomno excitauit. Erat aũt feria ſexta, in qua ſaluator generis humani, regẽ Babyloniæ diabolũ, tropheo crucis pſtrauit: & nunc iterum Admirauiſum Babyloniæ, p ſatellites ſuos dominus ſupauit. Rex, ut ſuperius diximus, flumen trãſmeauit, ſed patriarcha cum epiſcopis aliſq; religioſis uiris, tam Græcis quàm Latinis propius non acceſſit. Deſcendit itaq; rex in quandã uallem ſpecioſam & ſpatioſam cũ ſuis omnibus, & ſecus littus maris intrauit, ibiq; ſuas acies ordinauit. Ipſe ſuã conſtituit primam. Comes Normannus ſecundã. Comes ſancti Egidij tertiã. Comes Flandrenſis quartã. Comes Euſtachius & Tancradus quintã. Vniuerſiq; pedites cũ ſagittis, & pilis, & telis præpoſuerũt ſe alijs militibus. Et ſic ordinati obuiã ire cœperunt Babilonienſibus In dextera parte iuxta mare, comes ſancti Egidij: in ſiniſtra uero rex, ubi maior hoſtiũ fortitudo incumbebat equitauit. Inter hos alij omnes fuerunt. Sed non eſt prætereundũ, quod Clemẽs Admirauiſus dixerit. Cum ei, quod noſtri cõtra eum equitabãt ad prælium, nunciatũ fuit. De præda eñ quàm noſtri ceperant, nullus ei nuntiauerat: quoniam niſi læta & pſpera nullus ei dicere præſumebat, quia in gaudio ſemp eſſe uolebat. Quicunq; enim ei aduerſa nuntiabat, nullam deinceps gratiã

in conſpectu eius inueniebat. Nec illum tamen ullæ diuitiæ amiſſæ tur-
bauerāt, tantæ facultatis erat, quod remanebat. Et ne friuolum eſſe dicat
quis, quod dicturi ſumus, à quodā Turca, qui hæc poſtea in Hieruſalē re-
tulit, habuimus: qui ſponte ſua factus eſt Chriſtianus, & in baptiſmate uo
catus eſt Boamundus. Summo itaq; mane dictum eſt, quod reuera
Franci parati erant ad præliū, & quod iam prope eſſent, uenientes contra
ipſum. Tunc fertur demens dixiſſe nuntio. Quod mihi dicis, nō audeo cre-
dere, quia nec etiā intra muros æſtimo illos me inuēturos. Cui & ille: Cer
tiſſime ſciat domine magnitudo tua, quia parati ad prælium ueniunt, &
iam prope ſunt. Tunc præcepit ut omnes arma caperēt, & ad bellū ꝓpe-
rarent. Iamq; paratis omnibus, & ipſe noſtros intuitus dixit: O regnū Ba-
byloniæ cunctis regnis antecellens, quātum dedecus hodie pateris, in hoc
quod tantilla gens, cōtra te uenire præſumit. Ego uero nunquā æſtimaui
illos nec intra ſepta etiā cuiuslibet urbis poſſe inueniri, & ipſi cōtra me iti-
nere diei unius auſi ſunt uenire? Aut ſenſum amiſerunt, aut mori ſicut &
uiuere eligunt. Præcipio itaq; uobis ô Babylonici bellatores, ut omnes
iſtos de terra tollatis, nulli parcat oculus ueſter, nulliusq; miſereamini.
Sic ergo cōmiſſum eſt prælium. Primus ſiquidem comes Normanniæ
miles fortiſſimus cum ſua acie cōgreſſionem incēpit: in illa ſcilicet regione,
in qua uexillū Admirauiſi, quod ſtandarū uocant, conſpexit. Qui ferro per
medias acies uiam interrumpens, multas ſtrages dedit, & tandē ad illum
qui ſtandarum tenebat perueniēs, illum ante pedes Admirauiſi ꝓſtrauit,
& uexillum accepit. Admirauiſus autē uix euaſit, & Aſcalonā fugiens, ante
urbis ianuam conſtitit. Et miſer miſerrimā ſuorum cladem, à longe pro-
ſpexit. Non diſſimili audacia rex & reliqui comites in oppoſitos irruunt
& ſæuiſſima mulctatione dextra leuaq; perimunt quotquot ſibi occur-
runt. Ibi arcus nulli eorum profuit, quia impetus noſtrorum tam celer
tamq; denſiſſimus fuit, quod nulli trahere licuit, ſed magis fugere libuit.
Multa q̄ppe ibi millia mortua ſunt, quæ mortua nō eſſent, ſi fugere præ-
ualuiſſent. Sed multitudo tanta erat: quoniā qui retro erant, præmiſſos
in mortiferos noſtrorū gladios impellebant. Tancradus & Boloniēſis co
mes Euſtachius irruerunt in eorū tentoria, & multa ibi præclara egerūt,
quæ ſi ſcriberent, digna eſſent memoria. Nullus noſtrorum ſegnis, nullus
pauidus repertus eſt, ſed omnes uno ſpiritu animati, unanimiter proſeque
bantur inimicos crucis Chriſti. Mirum quippe erat, quod tantorū multi
tudinem armatorum paucitas noſtrorū non expaueſcebat, ſed diuina ſuf
fragante gratia magis ac magis coualeſcebat, pugnæq; conflictus dura-
uit uſq; ad horā qua dominus noſter Ieſus crucē aſcendit, ipſa eadē hora
omne robur contrariæ gentis emarcuit, ut nec fugere potuerint, nec ſe de
fendere ualuerint, tenentes gladios in manibus, pedibus noſtrorū ꝓuoluti,

terræ

terræ ſe inclinabant, & erigere ſe contra Chriſtianos non audebant.

Iam uero prima pars Babylonici exercitus tota fugiebat, & poſterior de uictoria cuius eſſet adhuc dubitabat, quia nihil unquã minus ſperabat, quoniã ſuorũ fugam, & uictoriã Chriſtianorũ. Cum enim ſuos conſpicabat ꝑplana camporũ fugiendo diſcurrere, æſtimabat illos ꝑſequi Chriſtianos, & uelle occidere. Sed poſtquã cõ pererunt q̃d Chriſtianorũ erat uictoria gaudiũ quod habuerãt ſuperauit mœſtitia. Tũc & ipſi ꝑterriti fugiunt, & ſequacibus ſuis fugiendi præſtãt conſortiũ. Et ut uentus aquilo diſſipat nubes & immiſſus turbo aggeres ſtipularũ ſic noſtri diſſipabant alas & cuneos fugientiũ. Dum hæc ita fierẽt, dum ſic milites Chriſti, ſatellites diaboli deſtruerẽt, & comes ſancti Egidij qui iuxta mare pugnabat abſq; numero ꝑimeret, & multo plures in mare præcipites ire cõpelleret. Quid Clemẽs, nunc uero demens Admirauiſus ſtans ante portã Aſcalonæ dixerit, audiamus: ſicut ſupradictus ꝑſelitus Hieroſolymis deinceps retulit, qui iuxta illũ erat, ut aſſecla, & domeſticus uerna illius. Clemẽs igitur ut demens dicebat, dum gentem ſuam gens Chriſtiana detruncabat. O Mahomete præceptor noſter & patrone, ubi eſt uirtus tua? Vbi eſt cœleſtium uirtus numinũ cum quibus ipſe gloriaris? Vbi eſt creatoris efficax potẽtia, cui ſemꝑ aſtat tua præſentia. Cur ſic reliquiſti gentẽ tuã, quâm immiſericorditer deſtruit, & diſſipat, interficit, gens pauperrima & pannoſa, gens aliarũ gentiũ ꝑditiſſima, omniũq; prorſus hominũ fex, rubigo & ſcoria. Gens, inquam, quæ à noſtra ſolita erat quærere panem, quæ nihil prorſus habebat, niſi baculum & peram? Totiens eis eleemoſinam dedimus, totiẽs eorum miſerti ſumus. Heu heu, quare eis pepercimus? Cur illorum miſeriæ indulſimus? Quare non omnes occidimus? Nũc ſcire poſſumus, quod huc ueniebãt nõ ut ueri adoratores, ſed ut ſubdoli exploratores. Gloriã noſtræ felicitatis uiderũt, diuitias noſtras concupierunt, concupiſcentiã ſecum in terrã ſuam detulerũt, & iſtis nuntiauerunt. Nunc igit̃ iſti ſitiunt aurũ argentũq; noſtrũ, & ob hoc tam crudeliter effundunt ſaguinẽ noſtrũ. Ergo ne ſunt homines iſti, q tantã habẽt poteſtatem, aut certe infernales dij? Forſitan infernus ruptus eſt, & populus iſte erupit. Abyſſus crepuit, inde gens iſta uenit. Nulla enim habent uiſcera humanitatis, nulla indicia pietatis Si homines eſſent, mori timerent, ſed unde emerſerunt in infernum redire non expaueſcunt.

O gloria regni Babyloniæ quàm turpiter hodie dehoneſtaris, quæ bellatores tuos olim fortes nunc debilitatos amittis. Quæ gens ulterius poterit huic nefariæ genti reſiſtere, cum gens tua contra eam nec ad horam poterit ſubſiſtere. Heu heu nunc fugiunt, qui nunquam fugere didicerunt, & turpiter proſternuntur, qui alios proſternere conſueue-

Turcæ fugam menint

runt. Proh dolor, omnia nobis cædũt in contrariũ. Vincere ſolebamus & uincimur. In lætitia cordis aſſidue uerſati, nuc mœrore afficimur. Quis ualet oculos ſuos à lacrymis tẽperare, & erumpẽtes ab intimo corde ſingultus cohibere? Diu in collectione huius exercitus curã magnæ ſollicitudinis expendi, multũq; tẽpus fruſtra cõſumpſi. Fortiores totius Oriẽtis milites innumerabili pretio cõduxi, & ad hoc bellũ adduxi: & nunc ad extremũ & ipſos & pretiũ amiſi. Multo argẽti diſpendio parauerã ligna ad cõſtruendas turres ligneas, & omni generis machinas in circuitu Hieruſalem, ut eos obſiderẽ. Et ipſi longe ab ea præuenerũt faciem meã. Quẽ honorẽ habebo ulterius in terra mea, cũ ſic me dehoneſtat gens aduena, populus alienus. O Mahomete Mahomete quis unquã uenuſtiori cultu te coluit, in delubris auro argentoq; inſignitis, pulchriſq; de te imaginibus decoratis, & cerimoniis & ſolennitatibus omniq; ritu ſacrorũ. Sed hoc eſt quod Chriſtiani nobis inſultare ſolent, quia maior eſt uirtus crucifixi quàm tua, quoniã ipſe potẽs eſt in cœlo & in terra. Apparet autẽ nũc, quoniã qui in eo cõfidunt uincũt: illi uero uincunt, qui te uenerant. Sed hoc nõ meretur incuria noſtra, quoniã auro, gemmis, cũctiſq; opibus pretioſis, magis inſignita eſt ſepultura tua quàm Chriſti. Ciuitas illa quæ tuo nobilitatur corpore, nunquã deciſa eſt ab honore, ſed omni ſublimitate ſemp excreuit, omniq; famulatu debitæ uenerationis enituit. Iſta uero in qua crucifixus humatus eſt, nunquã deinceps honorẽ habuit, ſed deſtructa & cõculcata, & ad nihilũ redacta multotiẽs fuit. Cuius igit̃ culpa ita degeneres efficimur, cum omnẽ tibi exhibeamus honorẽ, & nullã nobis rependis uicem. O Hieruſalẽ ciuitas ſeductrix & adultera, ſi ullo tẽpore cõtingeret ut in manus noſtras deuenires, totam te ſolo coæquarẽ, ut ſepulti tui ſepulchrũ funditus exterminarẽ. Cum hæc & hiis æquipolẽtia Clemẽs Admirauiſus uoce quærula rotaret: noſtri aſſuetæ uirtutis ſuæ nõ immemores, ante urbis ianuam tanto impetu in Babylonios irruerũt, quia neminẽ eorum niſi mortuũ aut plagis exhauſtũ extra ianuã reliquerũt. Tali itaq; modo diuina uirtus bellũ deuicit, & noſtros uictoria cõmendauit. Et quis omnes ualet referre quot occiſi ſunt, in anguſto portæ introitu? Tunc Clemẽs iure flere potuit, cũ tot ante ſe ſuorũ cadauera extincta uidit. Quidã adhuc in ſupremo ſpiritu poſiti palpitabãt, & Clementi qui illuc eos adduxerat, maledicebant. Fertur tunc Clemẽs eiulando fleuiſſe, & noſtros maledixiſſe. Erant autẽ in mari, q̃d adiacet ciuitati, nautæ, naues circumiacentiũ regionũ mari, q iuſſu Admirauiſi attulerãt totius opulentiæ ſupplementũ, ad obſidionẽ urbis Hieruſalẽ neceſſariũ. Qui ut uiderũt ſuos & dñm ſuũ tam turpiter cõfuſum, timore ꝑterriti uela ſuſpenderũt, & in altũ mare ſe impulerũt. Noſtri uero cũ manibus in cœlũ erectis cordibus deo gratis retulerũt, & ad eorũ tẽtoria reuertẽtes aurũ & argentũ, & innu

mera

mera ſpolia ueſtium, copiamq́ ciborũ multa animalia, omnium inſtrumenta armorũ, inuenerunt. Inuenerunt etiã equos & iumenta, mulos & mulas, aſellum & aſinas, & dromedariũ unum. Quid de ouibus & arietibus, alijsq́ pecoribus referam? Quæ ad eſum parata erãt. Lebêtes & caldariæ, cacabi, cophini pleni auro argentoq́, aureisq́ ueſtibus, omnesq́ eorũ apparatus ibi inuẽtus eſt, ditiſſimaq́ præda locupletati ſunt, qui tentoria Admirauiſi regalibus referta diuitijs habuerunt. Dum uero noſtri ſic triumphaliter reuerterent̃, inueniebant agmina ruſticorum, uaſa uinaria & aquatilia deferentiũ, quæ neceſſaria eſſe putabãt in obſidione, ſuorum uſibus dominorũ. Qui, uelut beſtiæ, ſtupefacti nuſquã diuertebant: & inclinatis ceruicibus enſes noſtrorũ expectabant. Pleriq́ in mortuorũ ſanguine ſe uolutabant, & quaſi mortui inter mortua corpora latitabant. Vt autẽ noſtri peruenerunt ad flumen ubi patriarchã dereliquerãt, quieuerunt, utq́ fatigati, ſomnum ſuum dormierunt. Vtq́ dies terris aurora præueniente reddit̃, exurgunt, & iter cœptum ꝓperarunt. Qui ut ciuitati ferè ad duo milliaria proximare cœperũt, ſicut triumphatores inſonuere tubis, & cornibus atque omnis generis muſicis inſtrumentis, ita ut mõtes & colles harmoniæ modulatis tinnitibus reſponderẽt: & quodãmodo cũ eis dño iubilarent. Tũc realiter implebat̃ q̃d ſpiritualiter ꝑ Eſaiam de eccleſia fideliũ dicit̃: Montes & colles cantabunt corã uobis laudẽ. Erat autẽ admodum grata multifidaq́ ſuauitate delectabilis harmonia, cũ uoci militũ ſonituiq́ tubarum reſponderẽt tinnitus montiũ, concaua rupiũ, & ima conualliũ. Cum uero ante portas urbis uenirent, ab his qui remanſerãt, cum diuinis laudibus, & ſacris cantionibus excepti ſunt. Et meritò deus ſup hoc laudabat̃, quoniã nunc peregrini ſui portis apertis recipiunt̃ cum laudibus, qui olim cum magna difficultate in magnis iniurijs ſuſcipiebantur. De his peregrinis portis & per Eſaiã domino dicit̃: Et portæ tuæ eis aperient̃ iugiter, die ac nocte nõ claudent̃. Hæ prophetiæ noſtris tẽporibus adimplet̃, quia nunc portæ Hieruſalem filijs peregrinorũ aperiunt̃, quæ eis antea die ac nocte claudebant̃. Factum eſt autẽ hoc præliũ ad laudem & gloriã Ieſu Chriſti domini noſtri, pridie idus auguſti. Quia uero hiſtoricus ſermo iſte ab Hieroſolyma ſumpſit exordiũ nominis ſui, & finem retinet ſicut & mediũ, nulli inconſonũ uideatur, ſi in calce huius operis, quis eam primitus fecerit, qs ita appellauerit, ſcribatur. Melchiſedech fert̃ eam poſt diluuiũ condidiſſe: Quẽ Iudæi aſſerũt filiũ Noë fuiſſe: Hãc in Syria conditam Salem appellauit: & in ea deinceps permulta tempora regnauit. Quàm poſtea Iebuſei tenuerũt, & partẽ ſui nominis, quæ eſt Iebus ei addiderũt, & ſic collectis in unum nominibus b in r mutata Hieruſalẽ uocauerũt. Poſtea uero à Salomone nobilius cõpoſita & tẽplo dñi & ſua domo regia, multisq́ alijs fabricis & hortis & piſcinis Hieroſolyma appellatur,

Quomõ uictores Hieroſolymam reuerſi ſunt.

Hieruſalem.

appellatur & quaſi de eius nomine Hieruſolonomia intelligit. Hæc à poëtis Solyma corruptæ uocatur: & à ꝓphetis Sion dicit, quod in noſtra lingua Speculatio interpretatur: pro eo quod in monte conſtituta, de longe uenientia contemplatur. Hieruſalem autem in noſtro ſermone Pacifica interpretatur. De antiqua huius glorioſa opulentia ſcriptum inuenimus in libris regum, quod Salomon fecit, ut tanta abundatia argenti eſſet in Hieruſalem, quanta & lapidum. Enimuero multo ditior enituit, cum in ea dei filius, pro generali omnium redemptione, crucem ſuſtinuit, cœlum ſuis ſyderibus obnubilauit, & terra tremuit, petræ ſciſſe ſunt, monumenta aperta ſunt: & multa corpora ſanctorū qui dormierant ſurrexerūt. In qua ciuitate contigit unquam tam mirabile myſterium, de quo emanauit ſalus omnium fidelium? Ex quo hoc conijcitur, quod hanc ita dei filius ſua glorioſa morte illuſtrauit, quia ſi noſtris placuiſſet autoribus, nō Hieruſalem, ſed r in s mutata Ieſuſalem debuiſſet uocari. Et ſic in noſtro ideomate ſalus pacifica potuiſſet interpretari. Pro his & huiuſmodi figuratiuis actionibus, forma eſt & myſticum ſacramentum illius Hieruſalē cœleſtis, de qua dicitur: Vrbs fortitudinis noſtræ Sion ſaluator, ponetur in ea murus & antemurale. Aperite portas & ingredietur gens iuſta, cuſtodiens ueritatem. De huius laude cuncta referre non poſſumus, quæ dicta ſunt à prophetis & legis doctoribus. Hæc uero terrena noſtra ætate fuit à deo derelicta, & odio habita, à malitia inhabitantium in ea. Cum autem ipſi domino placuit, adduxit Francigenam gentem ab extremis terræ, & per eam ab immundis gentilibus illam liberare uoluit. Hoc à longe per prophetam Eſaiam prædixerat, cum ait: Adducam filios tuos de longe, argentum eorum & aurum eorum cum eis, in nomine domini dei tui, & ſancto Iſraëli, quia glorificauit te. Aedificabunt filij peregrinorum muros tuos, & reges eorum miniſtrabunt tibi. Hæc & multa alia inuenimus in propheticis libris, quæ congruunt huic liberationi factæ ætatibus noſtris. Per omnia & ſuper omnia benedictus deus, qui iuſto iudicio percutit & uulnerat, & gratuita bonitate quando uult & quomodo uult miſeretur & ſanat.

Roberti Monachi libri octaui finis.

CAROLI VERARDI

CAESENATIS HISTORIAM BAETI-CAM AD R. P. RAPHAELEM RIARIVM Cardinalem.

PRAEFATIO.

CVM felix ille uenerande præſul, & iam pridem ab uniuerſo Chriſtiano orbe, mille uotis exoptatus nuntius Romam perueniſſet: quo cognitũ eſt urbem Granatam, cum omni eius regno, quod per octingẽtos ferè annos, impio Mahumetis dominatu oppreſſum fuerat: iugo ſeruitutis excuſſo: in Chriſti libertatem erectum, nunc tandem in poteſtatem ac ditionẽ Ferdinandi & Eliſabethæ Chriſtianiſſimorum inuictiſſimorumq́ Hiſpaniæ Regis ac Reginæ deueniſſet, memet continere non potui, quin arrepto calamo ſummam ſaltem huius rei literis mandarem, præſertim cum ob eam cauſam. Pontifex ipſe Maximus, Senatus Apoſtolicus, Populusq́ Romanus, tanta uictoria exultãs: quibuſcunq́ poſſet modis, lætitiæ ſuæ ſigna monſtraret: Templis omnibus ſacra fierent: Supplicationes per dies complures ad cuncta puluinaria conſtituerentur: Gratiæ deo immortali ac diuo Iacobo Hiſpaniarum patrono ad aras omnes agerẽtur: Vrbe tota longiſſimus ſacerdotũ ordo diuinis hymnis & gratulationibus perſonaret: Noctem lampades flammis uincerent: Interdiu ludi per omnia ferè compita celebrarentur: Hic taurorum uenationem, quos expediti iuuenes iaculis aut enſibus conficerent, populo æderet: Ille pugnam equitum leuis armaturæ qua potiſſimum Mauri utuntur, exhiberet: Alius expugnationẽ urbis Granatæ cum ſumma omnium referret uoluptate. Tu uero omnium magnificentiam longe ſupergreſſus: quo ſingularem animi tui lætitiam, quàm ex hac Chriſtianæ religionis amplificatione cœperas, & ſimul amorem obſeruantiamq́, quibus inuictos illos principes proſequeris, oſtenderes: ſpecioſiſſimum currum, quo ijdem de Baudeli Granatæ rege triumpharunt, tanto ſumptu & apparatu, tantaq́ pompa & ſplendore induxiſſes, ut Senatus populusq́ Romanus ueteres illos maiorum ſuorum triumphos iam pridem ſeculis noſtris incognitos, nunc demum ſpectare ſibi uiderẽt, & ſimul in circo ingẽtibus propoſitis præmijs celeberrimos ludos, in quibus equites grauis armaturæ longis inter ſe haſtis cum ſumma populi uoluptate concurrerẽt, pluribus diebus ædidiſſes: Itaq́ ego tantorum ueſtigia ſecutus, quo & ipſe pro uirili parte interiora animi mei gaudia, quo pacto

poſſem cunctis aperirem, & ſimul noſtrum temporũ felicitati quodam modo gratularer, unius duntaxat diei, quo uidelicet Vrbs Granata Baudelis regis bello iam fracti famæq́ fatigati deditiõe recepta eſt, acta complexus ſum, hiſtoriamq́ interlocutoribus perſoniſq́ ita contexui, atq́ diſtinxi, ut totam rem ita uti geſta eſt, poſſet Populus Romanus nõ ſolum auribus percipere, uerum etiam oculis intueri, eamq́ tuo ampliſſime Antiſtes: cui omnia debeo: nomini dicaui, tuoq́ acerrimo iudicio caſtigandã ſubieci. Tibi eñ utpote Regiæ illorum maieſtati deditiſſimo, & qui in primis hac noſtra tẽpeſtatẽ ingenijs faues, & de eorũ ſtudijs ac ſcriptis iudicare potes, id muneris potiſſimũ debebat. Eam igitur cum tu magnope probaſſes, cõfeſtim tẽporario in tuis magnificentiſſimis ædibus excitato theatro, recenſeri agiq́ curaſti: Tanto autẽ patrũ ac populi ſilentio & attentione excepta eſt, tantusq́ fauor ac plauſus ſubſecutus, ut iam dudum nihil æque gratũ ac iucundum auribus oculiſq́ ſuis, oblatũ fuiſſe omnes faterentur. Quod ea potiſſimum cauſa contigiſſe crediderim: Quod res erat per ſe ipſa gratiſſima, & excellentis uirtutis, qua Rex & Regina præditi ſunt, commemoratio, nobilibus & bene inſtitutis animis non iucundiſſima eſſe nõ poteſt. Eandem hiſtoriam, non tam meæ famæ (quæ perexigua eſſe poteſt) quàm Regiæ gloriæ ſtudens, eodem te hortante, unà cum nõnullis carminibus, quæ Bartholinus Verardus nepos & alumnus meus, facili & copioſo adoleſcens ingenio, me autore luſit, uulgandam putaui, quo reliquis etiam populis Chriſtiani nominis, qui dum agerentur, intereſſe nequiuerunt, tam præclaræ uictoriæ, tantæq́ uirtutis ſplendor illuceſſeret. Poſſentq́ hoc exemplo, admoniti reliqui Reges, ac principes noſtri, intelligere quanto glorioſius ſalutariusq́ ſit, pro religione noſtra tuenda uel amplificanda aduerſus eius hoſtes arma ſumere, quàm pro leuibus & caducis fortunæ muneribus (ut ſæpe ſolent) inter ſe digladiari. Vale Præſul optime, humanitatis, ingenij, & modeſtiæ columen.

ARGVMEN-

REbus ſuis Rex Maurus cum diffideret.
Suos amicos conſulit, uariantibus
Sententijs quorum, incertus dimittitur.
Mox nuntij aduentu Turcarũ principis
Spondentis, illum inuaſurum Trinacriam
Cum uere primo, confirmatur plurimum,
Diemq́ lætum hunc, ſtatuit in conuiuio
Luxu parato regio traducere.
Sed illud omne perturbauit gaudium.
Speculator Hiſpanorum Regem nuntians
Vrbem continuo decreuiſſe inuadere.
Poſt pauló Regis Numidarum literis
Permagna pollicentis ſibi auxilia
Erectus animo, præfectum cum copijs,
Hoſtilem mittit qui contundat impetum.
Sed territus poſtremo uxoris ſomnio,
Exercitusq́ internitione cognita,
Bello fameq́ fractus, ac demum omnibus
Rebus iam deſperatis, ad clementiam
Confugit hoſtis, urbem, ſeq́ tradidit.
Ferdinandus & coniunx ſumma cum gloria,
Granata & omni illius regno potitur.

PROLOGVS.

SAlutem primum Spectatores optumi
(Quorum frequentia, uultuq́ maxume
Lætor ſereno) uobis ſummam nuntio.
Aures mihi dein ſi dabitis propitias,
Qua huc gratia prodierim, paucis eloquar.
Apporto non Plauti, aut Neuij comœdias,
Quas eſſe fictas ſcitis omnes fabulas.
At nouam uobis ueramq́ fero hiſtoriam,
Per quam licebit noſſe, ut ſummi principes
Ferdinandus & coniunx, domuerunt Bæthicam,
Regniq́ Granatam caput, & finitimis
Terrorem populis adiecere imperio,
Quod fabulis ſi in fictis, tantam capere
Soletis pleno uoluptatem pectore.

Quid quæſo res ubi narratur ueriſſima,
Cognitioneq́; digna, uos facere addecet?
Præſertim cum ulla hic tyrannorum ſcelera
Non ſitis audituri, aut faſtus regios,
Intolerandam uel bonis ſuperbiam,
Quæ ſæpe deſcribi ſolent tragœdijs.
Neq; audientur lenonum hic periuria,
Seruorum technæ, aut meretricum blanditiæ,
Auara non uſquam lena hic inducitur,
Miles ue glorioſus, aut ſycophanta impudens,
Edaxue paraſitus, uel matrona impudens,
Paterue durus, aut amator cupidus,
Et reliqua, quæ in Graijs noſtriſq́; comicis
Spectata præbent uoluptatem plurimam.
Verum pudica, honeſtaq́; hic ſunt omnia,
Summoq́; cuncta perfecta conſilio
Virtute ſemper duce, fortuna comite,
Fides, boniq́; mores, & probitas uigent,
Nullus ſuperbiæ, nullus auaritiæ eſt
Locus relictus, aut fœdis amoribus.
Vos itaq;, uirtutem qui facitis maxumi,
Fauere noſtræ decet huic hiſtoriæ,
Animumq́; ſummo aduertere cum ſilentio.
Requirat autem nullus hic comœdiæ
Leges ut obſeruentur, aut tragœdiæ,
Agenda nempe eſt hiſtoria, non fabula.
Adeſte iam æquis animis, & pernoſcite:
Maurorum Rex en qui foras egreditur.
Suis cum conſultoribus, ſibi quid uelit.

EXPVGNATIO REGNI GRANATAE, QVAE CONTIGIT ANNO AB HINC QVADRAGESIMO SECVNDO à catholico rege Hiſpaniarum Ferdinando

BAVDELIS MAVRORVM REX, HALLATAR, SERRAIA, HABDISBAR, CONSVLTORES.

PROFECTO quanto magis magiſq́ cogito, tanto mihi res noſtra duriore in loco eſſe uidet̃, dabitq́ nimirũ hic Rex Hiſpaniæ nobis magnũ malum, cui quod remedium inueniam, aut quid conſilij capiam, neſcio. Ita nobis omnia aduerſa, hoſtibus ꝓſpera contigere. Quicquid tentauimus fruſtra fuit. Spes hactenus uanæ, conatus irriti fuêre: fame, omniũq́ rerũ inopia, præmimur. Hoſtis adeſt, inſtat, nullã requiẽ feſſis præbet. In una deditione ſpes omnis oſtendit̃, quã tamen ita abominor, ut emori per uirtutẽ ſatius putem, quàm hoſtibus ludibrio eſſe. Proinde uos, quos ſemꝑ ſupræmos habui comites conſiliorũ meorũ: quiq́ ætate ac longo rerũ uſu plus ſapitis, mihi ꝗd agendũ ſit, cõſulite. Nã ego quidẽ ita ſum animo ꝑturbato, tot me excruciant curæ, ut quid mihi, regnoq́ meo expediat, nõ ſatis diſpicere poſſum. Igit̃ tu Hallatar, qui dignitate præſtas, ediſſere nobis ꝗd ſentias. HALL. Graue onus optume Rex meis humeris imponis, ꝗ me iubeas imparatũ tanta de re ex tẽpore dicere, maluiſſemq́ ut hi collegæ mei, priores ſententiã dixiſſent, quo plus ad cogitãdũ ſpatij haberẽ, & ſimul eorũ prudentia inſtructus, ad dicendũ paratior accederẽ. Verũ quãdo ita iubet, parebo, atq́ animi mei iudiciũ paucis aperiã. Nõ clã me eſt Inclyte Rex, quot damna, quot incõmoda, quot clades (quorũ nõ poſtrema pars fui) in hoc diuturno & calamitoſo bello, ab hoſtibus paſſi ſumus: uerum nõ uſq́ adeò uires imperij tui fractæ ſunt, ſpes opesq́ conciderũt, ut niſi deditionẽ feceris, ſalus deſperãda ſit. Nam ꝑ deũ immortalẽ: primũ cõſidera robur ac multitudinẽ militũ tuorũ, ſexaginta millia & eo amplius lectiſſimorũ ac fortiſſimorũ peditũ, urbe tuo firmo præſidio non exuta, in aciem educere potes. Circũſpice hũc ſplendorẽ equitũ, quantus ſit in eis uigor, quãta rei militaris ſcientia, quàm ad pugnandum prompti, & ad decipiendum hoſtem edocti ſint, meditare. Deinde cogita quanta ſubſidia ab Rege Numidæ, Mauritaniæq́ principibus, & ab ipſo Turcarum imperatore ſperare meritò poſſis. An eſt uериſimile, hoc inclytum regnum, quod in ultimo Europæ angulo, tanta cum noſtra, atq́ adeò omnium Maomethis ſectatorum gloria, & ſumma contra Chriſtianorum ignominia, annos cir-

citer octingentos perſeuerauit, eos paſſuros nunc opprimi, peſſundari, atq; deleri? At eñ dices: cur tam diu ſubſidia, ſi ulla miſſuri fuerant, diſtulerunt, & donec in extrema conſtituti eſſemus neceſſitate? Expectandũ putauerunt: Multæ poſſunt eſſe cauſæ, quæ illos ab hoc honeſto ac debito officio, quæ nos latent, retardarũt. Sed illa in aperto eſt: Quod exiſtimarunt nos noſtris opibus ac uiribus, ut maiores noſtri fecerũt, ad reſiſtendum hoſti paratos ſatis eſſe, neq; fieri unquã poſſe crediderũt, ut tot oppida, tot caſtella, tot urbes arte ac natura munitas, pugnaciſſimo milite, inſtrumẽto bellico, omniũq; rerũ copia inſtructas, tam cito amitteremus. Nunc uero cũ res noſtras in anguſto ſitas eſſe, atq; in id ꝓpe deductas diſcrimẽ animaduerterint, ut niſi celeriter ſuccurrat, aut turpis deditio, aut dirũ huius urbis excidiũ, cũ maxima omniũ noſtrũ ſtrage ſit futurũ. Veriſimile nõ eſt, Mauros potiſſimũ, qui in proximo ſunt, non totis uiribus in auxiliũ noſtrũ deſcenſuros, cũ præſertim eos nõ lateat incendiũ noſtrũ ad eos ꝑtinere. In prouerbio eſt: Tua res agit, paries cũ proximus ardet. Num eñ ſperare poſſunt Regẽ ac Reginã Hiſpaniarũ, quorũ hi ſunt ſpiritus, ea (ſi de hoſtibus uerũ fateri libet) magnitudo animi, ut uniuerſos orbis eorũ cupiditati ſatis eſſe nõ poſſit, ſi tuo inclyto hoc regno ꝑ uictoriam (q̃d dĳ omen auertãt) potienť, quieturos eſſe, & non ſtatim omnibus impĳ ſui uiribusq;, totaq; belli mole in Africã tranſmiſſuros? Quare tuã iſtam Rex animi magnitudinẽ atq; conſtantiã mirificẽ laudo, quod p̃ſtare exiſtimes ꝑ uirtutẽ emori, quàm deditionẽ facere. Nã q̃d eſt aliud hoſtibus, præſertim Chriſtianis, q̃bus cũ tanto odio diſſidemus, ſe dedere, quàm in miſerã, turpẽ, ac ꝑpetuã ſeruitutẽ ſe ac liberos poſterosq; omnes ſuos tradere? Quod ſi nos amici forſan deſeruerint, auxilia ſperata defecerint, uirtutiq; noſtræ fortuna inuiderit, nónne præſtabilius eſt uirorum more pugnantes occumbere, & non incruentã hoſtibus uictoriã relinquere, quàm aut exutos libertate (quã nemo bonus niſi cum anima ſimul amiſit) in prædã & ludibriũ trahi, aut ueluti pecudes ab hoſtibus trucidari? Saguntini in hac terra Hiſpania (ut in hiſtorĳs memoriæ proditum eſſe accepi) quo Romanis, quibus cum fœdere & amicitia iũcti fuerant, fidem ſeruarent potius quàm ſe Hannibali dederent, immani in foro excitato rogo, ſe ſuosq; atq; inſuper opes omnes igni ferroq; corruperunt. Ergo quod illi pro fide Romanis ſeruanda fecerũt, Nos pro aris, pro ſanctiſſimis focis, pro delubris atq; templis, poſtremo pro ea fide, quam deo noſtro & clariſſimo eius ꝓphetæ Maomethi debemus, ſi ita neceſſitas (quod minime reor) cogat, facere recuſabimus? Huc accedit q̃ nunq̃ eundẽ curſum ac tenorẽ forttuna ſeruat: Nũc hoſtibus fauet, forſitan poſt paulò tibi ac tuis arridebit. Quis ſcis an ita dĳ fata ordinarint, ut Maurorum in Europa imperiũ, magno motu cõcuterẽt, potius quàm euerterẽt,

ad monerentq;

admonerentq́; nos imbecillitatis humanæ, cuius nimia in ſecundis rebus obrepit obliuio? Igitur Rex (ut iam dicendi finem faciam) te hortor, ut bono fortiq́; animo ſis, uirtuti militum tuorum confidas, externa auxilia non deſperes, & poſtremo Deum noſtrum, cum propheta ſuo Maomethe, pro hoc imperio quod ſuũ eſſe nouit, pro aris atq; templis ſuis, ſi eum eum ſancte pieq́; coluerimus, ac nobis ipſi non defuerimus, pugnaturũ, noſtræq́; uirtuti ac pietati non defuturum eſſe confidas. BAV. Nõ inuito ad aures meas tua iſtæc ꝑuenit oratio. Nam ut fortem uirũ, & ætate integrũ militem decet, bene ſperas, meq́; ut idem faciã, multis rationibus exẽplisq́; adhortaris, & ſanè modo id fieri poſſit, magnopere huic faueo ſententiæ, ſed me multa ꝑturbant, quæ aliâs proferent̃. Nunc libet ordine ſentẽtias ueſtras exquirere. Dic igit̃ Serraia, meq́; ſi potes prudenti tuo conſilio, ex tantis curis miſerijsq́; exime? SERRAIA. Difficile eſt id quidẽ optime Rex, & quod præter deũ uix quenquã hominũ præſtare tibi poſſe arbitror. BAV. Cur quæſo? SERRAIA. Quia in tanta aduerſitate fortunæ, uix optari fas eſt, ut curis moleſtijsq́; plurimis careas, etiã ſi miſerias euaſeris. BAV. Recte ais: Neq; id ego ꝓpterea dixeram, quod me curis moleſtijsq; uacuũ eſſe poſſe ſperarẽ. Sed te ut hortarer cõſilio, quo polles plurimũ, me iuuares. SERRAIA. Vtinam ea eſſet in me prudentia, quã mihi tribuis, quã ego mihi neq; ſumo, neq; arrogo. BAV. Pro modeſtia tua id facis: At ego quantũ prudentia ualeas, re ipſa expertus, intelligo, utinãq́; tibi bene monenti hactenus obtẽperaſſem. Nã meliore fortaſſe in loco, quàm nunc ſunt, res noſtræ forent. Itaq́; aperi mihi ſenſum animi tui, neq; expectes, ut te interpellem. Libentius eñ ut Hallatarem modo audiã, perpetua oratione ſententiam tuam explicantem. SERRAIA. Poſtquã ita uis, parebitur tibi. Quàm uellẽ Rex ut rebus noſtris ita fortuna arrideret, ut merito poſſem Hallataris, quẽ ſedulo dixiſſe credo, ſententiam cõfirmare, ac ſpem aut uictoriæ, aut ſaltẽ defenſionis inijcere, nihil eñ libẽtius feciſſem. Sed ſi res, quantũ ego iudico, non ſinit, ſatius eſſe duco, ut tibi utilia & uera conſulã, quàm iucunda & magnifica dicendo: uana ſpe te interim lactem, ac gratiã ſtudeã aucupari tuam. Paulopoſt uero in eum locum res deducatur, ut ipſa ſi cupiat ſalus, te ac tuos ſeruare non poſſit. Quid eſt enim quod nobis ſpem ullam certã præbere uideat̃? ſiue hoſtium opes ac uires, ſiue noſtras diligẽter penſitauerimus? Nõne omnia uictoriã illis polliceri, nobis ꝑniciẽ, & huic urbi excidiũ: niſi nobis mature cõſuluerimus, minitari uident̃? Reminiſcere quæſo (licet moleſtũ ſit) quotiens ꝑ hoſce decem annos, quibus dirum hoc bellum fruſtra propulſare conamur, exercitus tuus fuſus fugatusq́; ſit, quotiẽs caſtra capta atq; direpta. Quod caſtella, quot oppida, quot urbes, quæ adeò manu & natura munitæ fuerant, ut hoſtes, niſi à cœlo uenirẽt, cõtemnere

poſſe uiderentur: partim ui & armis, partim terrore ſubactæ, in poteſtatem hoſtium deuenerint: Ad quod oppidum unquam Hiſpaniæ Rex admouit exercitū, quod non cœperit? Quid concupiuit, quod nō aſſecutus ſit? Quocunque ſe contulit, uirtutē eius fortuna comitata eſt. Quid nunc opus eſt, ut damna, clades & calamitates, quas interim paſſi ſumus, commemorem, cum eas, etiam ſi cupias obliuiſci non poſſis, & hoc nihil aliud foret, quàm obductum pauliſper uulnus exulcerare. Hæc igitur omittamus, cōſideremus ſi placet hoſtis potentiā. Longū eſſet referre quot urbes, quot prouincias, quot regna poſſideat. At non abundāt ijs rebus quæ bello uſui ſunt? imò præter cæteras, ꝓuincias, ijs refertæ ſunt maxime, ut enī omittam quod frumenti uini cæterarumque rerum ad uictum pertinentium Hiſpania feraciſſima eſt, & equorum multitudine ac pernicitate reliquas anteit prouincias. Sicilia quæ Ferdinando paret, frugū mater appellatur, equos mittit omnium bellicoſiſſimos. Calybes, ferrum, tanta copia ſufficiunt, ut inde in cæteras orbis partes aſportetur. Auro uero, quo non minus quàm ferro bellum adminiſtratur, hoſtes abundare quis dubitet? Cum Tagus & alia nonnulla eorum flumina arenis aureis fluere dicantur. Nam de militum numero quid attinet dicere? cum tanta ſe illi ſponte multitudo offerat, plures quotannis ſint domū dimittendi, quàm ad bellum conuocandi. Quale uero & quantum ſit eorum robur, quæ in cōmittendo prælio alacritas & audatia, in perſeuerando conſtantia, quantus in dimicando mortis contemptus, ut aut uincere aut mori parati ſint, ſæpius quàm è re noſtra eſſet experti didicimus. At dicet fortaſſe quiſpiā exercitus ipſe inuictus eſt, fateor. Sed duce & imperatore, qui illum norit regere, indiget. Vtinam ita eſſet, nam non foret neceſſe nos nunc tanta cum ſollicitudine, & animi anxietate his de rebus cōſultare. Sed habet (habet inquam) ducem, cui nulla earū rerum, quæ in perfecto & conſummato imperatore exiguntur deſit, imò adſint omnes cumulatiſſime. Inuita hoc in loco uerſatur oratio mea, cogit enim de acerrimi infeſtiſſimique hoſtis noſtri laudibus differere, ſed tantas uires habet ueritas, ut etiam ab inuitis hoſtibus ueram confeſſionē extorqueat. Quæritur in ſummo imperatore rei militaris ſcientia. At Rex Hiſpaniæ in armis (ut ita dixerim) natus, ibi adoleſcentiam, ibi iuuentutem, ibi mediam ætatem exercuit. Nā penè puer bello, quod cum Barcinonenſibus & alijs populis deſciſcentibus à patre geſtum eſt, paternis auſpicijs militauit: in quo difficile dictu eſt (ut memorant) quantā indolem uirtutis, quot ſigna fortitudinis, magnanimitatis ac futuræ probitatis oſtenderit. Eo uero adhuc prætextato, cum Luſitaniæ Rex magni uir animi ac uirtutis, uniuerſam ferè Hiſpaniam citra Iberum, infinito penè exercitu inundaſſet, ac fauentibus pluribus eius regni principibus & tetrachis, iam Caſtellæ regno tanquā opi

mæ prædæ incubaret. Ferdinandus, hoſtis nunc noſter, tanta celeritate, tanta uirtute, tanta deniq; felicitate illum ex Caſtellæ regno expulit, uniuerſam Hiſpaniam, quæ adſe dotis iure ſpectabat, recepit ac pacauit, ut non homo, ſed numen aliquod de cœlo delapſum, tantum bellum, tam inteſtinum, tantis uiribus omni ex parte ſubnixum, tam breui confeciſſe uideretur. Nobiſcum uero cum decimum iam annum, & quidem ſemper uictor pugnauerit, quod genus belli, quæ dimicatio, quæ diſciplina militaris, quæ calliditas, aut in comparandis hoſti inſidijs, aut deuitandis, & cætera id genus, ei ignota eſſe poſſunt? ac non aſſiduo uſu percepta & cognita? Virtutes imperatorias quæris? At quanta ſit Ferdinandi in ſubeundis periculis conſtantia, in rebus moliendis efficiendiſq; uelocitas, negotijs laboris patientia, in agendo induſtria, in prouidendo conſiliū. Ad hæc quanta ſit eius animi magnitudo, mortis contemptio, ueræ gloriæ laudiſq; cupido, ſolertia, innocentia, rebuſq; in omnibus temperātia. Et nos ipſi maxima ex parte ſumus experti, & tot uictoriæ maxima eius uirtute ſumma cum gloria partæ declarant. De autoritate in Rege præſertim, ſuperuacaneum eſt dicere, quē omnes ſocij ac populares colunt ut deum, noſtri metuunt ut peſtem. Iam uero felicitate quanta is eſſe putandus eſt, qui fortunam ipſam in omnibus bellis, in poteſtate habuiſſe uideatur? qui omnia ſua conſilia ita gubernarit, proſpereq; perfecerit, ut ad extollendum exornandumq; ex hominibus cum uirtus & fortuna cotendiſſe credantur. Conſideremus porrò aduerſum hæc omnia, quæ præſidia belli, quæ ſpes nobis ſit reliqua. Virtuti tuorum militum fidere non potes, cum omne robur exercitus, ſuperioribus bellis. & Malacenſi Baſtenſiq; potiſſimum cladibus amiſeris, ut enim quiſq; fortiſſimus & audaciſſimus fuit, ita primus in acie cecidit. Si non uirtus, at multitudo fortaſſe militum tibi auget animos, ſexaginta millia peditum: & eo amplius, ut Hallatar noſter dixit, in aciem educere potes. Sed hæc ſi ad exercitum hoſtium comparentur, quid ſunt, aut quid poſſunt? In quo etiam illud ineſt incommodum, quod quo maior eſt turba: eo citius, ſi non bello, at fame ac peſte, conficietur. Conferre utriuſq; exercitus inter ſe duces, & odioſum ſanè eſt. Sed ſi uerum fateri uolumus, licet Rex ſis conſilio prudēs: in prælijs audax ac manu promptus, non potes tamen cum Ferdinando iure cōparari à quo ſæpius uictus, & ſemel captus: quantū ille in bello ualeret, tibiq; præſtaret: tu te ipſe ſenſiſti. Extrema uero auxilia tam diu fruſtra expectauimus, ut ſtultum eſſe putem in eis ſpem ullam ponere. præſertim cum ita ferro, fame, incōmodiſq; omnibus urgeamur: ut bellum trahere, diutiuſq; ea expectare non detur. In præſentiq; nobis deliberandum ſit: ut aut omnes moriamur, aut deditionem faciamus. Et profecto licet utrunq; ſit durum, tamen ſi ex duobus malis; minus eligēdum eſt, de-

ditionem potius faciendã ſuadeo. Ad quod potiſſimum te hortari debent: Regis ac Reginæ Hiſpaniarũ tum ſingularis humanitas, mãſuetudo, facilitas: Tum ſumma in promiſſis cõſtantia & fides, & aduerſum eos, qui ſe ſponte dediderũt, inaudita clemẽtia. Nã eos tam benigne tam indulgenter tractare dicunt: ut nõ ſeruorũ (q̃d iure belli poſſent) ſed amicorũ & ſociorũ quodammodo loco habere uideãt. eosq́; ſuis legibus atq; inſtitutis, ſuo ritu ac cerimonijs uiuere patiant̃. Vt igit̃ in pauca conferã: cũ neque ipſi ad reſiſtendum hoſtis potentiæ ac uirtuti pares ſimus, neque diutius obſidionem, ferro ac fame urgentibus, tolerare poſſimus, neq; in externis auxilijs, iampridem fruſtra expectatis, ſpem habere debeamus. Contraq́; liceat plurimum benignitati & clementiæ Regis ac Reginæ confidere, quàmprimum deditionem faciendam eſſe cenſeo. BAV. Dic tu Abdiſbar. ABDIS. Tam multa ſunt in utranq; partem & ab Hallatare animoſe, & à Serraia dicta ſapienter: ut illis auditis magis ſim animi dubius, quàm ſi in initio mihi ſententia dicenda fuiſſet. Itaq́; cum ea res in cõſultationem ueniat, qua nulla maior excogitari queat, quippe in qua de fortunis omnibus, de liberis ac coniugibus noſtris, de uita, de libertate, de aris atque templis agatur, ego amplius deliberandum cenſeo. BAV. Merito uos omnes laudo, nam & ſi ueſtris uarijs ſententijs, ſatis me incertum dimiſiſtis, tamen his hinc & hinc auditis, uideor propemodum quid mihi, Regnoq́; meo expediat: poſſe diſpicere. Quanquam autem in Serraiæ ſententiam, animus magis inclinare uidetur: tamen quia à ſapientibus uiris ſolitum dici audio, conſulendum cunctanter, agendum uero eſſe celeriter: Placet in alium diem, iuxta Abdisbaris conſilium, hanc conſultationem reijcere. Ite igitur uos intro, & ad ſuũ quiſq; munus redite, ac ſuper his etiam atq; etiam cogitantes, parati eſtote: ut cum uos iterum cum alijs noſtri Regni proceribus, quibus cum placet hæc communicari, in concilium euocauero, nihil moræ ſit: quin pari conſenſu, recte ſapienterq́; mihi cõſulere poſſitis. Tu uero Abdisbar, ne à latere meo diſceſſeris: nam eſt, quod te uelim. ABDIS. Ego uero nuſquã abeo: & ad tua iuſſa præſto ſum.

SPECVLATOR RAGEL. BAVDELIS REX. ABDISBAR.

VBi nunc ego Regem quæram, aut quo primum intendam? Nam nunquam eodem in loco quieſcit diu: nunc urbis mœnia luſtrat, defenſoresq́; in propugnaculis diſponit, nunc in arce, quæ ad defenſionem oportuna ſunt, parat, modo hanc

portam

portam,quæ recta ad hoſtes tendit paulum egreditur,ut inde quid hoſtes moliantur proſpectet, ut primus audiat:quàm uellem eum nunc obuiã dari,ne mihi in arcem tranſcurſo opus eſſet,& hoc amplius ad laſſitudinẽ adderetur. BAV. Abdisbar,quem uideo horſum tendere? eſt ne hic ſpeculator Ragel an non eſt? ABDIS. Certe ipſus eſt. BAV. Non temere eſſe arbitror,quod ſic feſtinat. Hei miſero mihi. ABDIS. Quid times? BAV. Quia per hæc tempora ita ſum aſſuetus audire quæ nolo, ut ſemper cum nuncium quempiã conſpicor, mali quid animus præſagiat mihi. Heus Ragel. Quo properas? RAGEL. Hem. Quis me uocat? BAV. Reſpice ad me & ſcies. RAGEL. Oportune, ad te ibam. Salue Rex. BAV. Quid affers? læta ne,an triſtia? RAGEL. Non hercle certum ſcio qualia ſint. Illud dicam, quod uidi. BAV. Expedi. RAGEL. Iam. Verum ſine me,ſi libet, uel pauliſper reſpirare, nam præ curſu uix loqui poſſum. BAV. Mos geratur tibi: Eia eloquere iam. RAGEL. Eloquor. Cum eſſem in ſpecula,ad eamq́ partem,quæ ad mare uergit,oculos conijcerem, proſpexi quoſdam nouo habitu,quem nunquam ante hac uideram, horſum ad mœnia tendere, ſtatimq́ cucurri, ut id tibi nuntiarem. BAV. Amici ne,an hoſtes eſſe uiſi ſunt tibi. RAGEL. Neſcio: Illud ſcio, quod ꝓperantes ueniebant. BAV. Hoſtes ſunt igitur. ABDIS. Qui ſcis an idcirco properent, ne Hiſpanorum, (qui omnia ferè circum obſidẽt) cuſtodias elapſi, iterum in eorum inſidias inciderẽt, ab ijsq́ caperentur. BAVDELIS. Omnia timeo, & quid timeam neſcio. ABDISBAR. Deſine quæſo male ſuſpicari, & ad eas miſerias, quas res ipſa, & aduerſa hæc tempora ferunt, metum & ſollicitudinem (ut reor) uanam adijcere. BAVDELIS. Cedo Ragel: qualis fuit habitus iſte quem dicis. RAGEL. Cenſen me potuiſſe ex ſpecula tam cito omnia conſiderare ac perpendere? Illud tibi affirmare poſſum, quod eorũ habitus propior noſtro quàm Hiſpanico uiſus eſt. ABDIS. Rex ne dubita, nam niſi me animus fallit, amici ſunt. BAVDELIS. Ita deus faxit. Sed opportune adeſt Bomilcar alter ſpeculator. ABDIS. Hic te certiorem reddet.

BOMILCAR. ABDISBAR. BAVDELIS REX.

Ecquis me unquam fuit felicior nuntius? Nemo hercle quiſquam: Nam tantum boni regi apporto, quantum à dis uix audeat optare. Sed ubi eum quæram? quem perconter? ABDIS. Audin tu illum? BAVDELIS. Audio, ſed quid dicat non ſatis intelligo. ABDIS. Lætus eſt. BAVDELIS. Ita uidetur. Heus Bomilcar. BOMILCAR. Haud mirum eſt reuocati

propetantem de uia. Quis me uult? BAV. Is qui tibi imperare poteſt. BOMIL. Hem, ſaluus ſis Rex, te ipſum quærebam. BAVDELIS. Quid eſt Bomilcar, quid affers? BOMIL. Affero nuntium, cuius te maxime participem fieri uelles, ſi ſcires quantum in eo ſit boni. ABDIS. Dixin tibi te fruſtra timere? BAV. Explica ergo quamprimum quid apportes, & metum, in quo nunc ſum, adime. BOMIL. En adimo: Legati Turcarum imperatoris ad te cum muneribus ueniunt. BAV. Qui id ſcis? BOMILCAR. Quippe qui ex ipſis audiui. Nam, ut diligentis ſpeculatoris poſcebat officium, illis uiſis, curaui ut ſcirem qui nam eſſent, & quid ferrent, quibus cognitis ad te quamprimum aduolaui. BAV. Diligentiam tuam laudo. O ſumme rerum opifex gratias tibi ago, quod ex tot unus tandem lætus allatus eſt nuntius. Abdisbar, propera illis obuiã, atq; huc ad me quamprimum eos adduce. Nam ubi intus quæ opus ſunt facto, imperauero, mox huc reuertar, ut legatos hic coram omnibus honorifice excipiam, quo populus qui iam diffidebat rebus ſuis ac noſtris, horum aduentu aliquantulum à malis reſpiret. Vos ad ſpeculas ueſtras redite, atque heus curate, ut ita diligenter obſeruetis, quæ apud hoſtes gerantur omnia, ut ne muſca quidem illic ſe commouere poſſit, quin à uobis ſtatim certior fiam.

LEGATVS BAIAZIT IMPERATORIS TVRCARVM. ABDISBAR. BAVDELIS REX GRANATAE.

Dici non poteſt quanta me cœperit uoluptas poſtquam Granatæ mœnia proſpexi. Tot enim pericula maris ac terræ in tam longa peregrinatione paſſus ſum, ut nunquam me huc incolumen peruenturum putarem. ABDI. Non mirum ſi gaudes. Quid eſt enim iucundius, quàm extra pericula poſitum, præteritorum laborum recordari. Sed Rex egreditur. LEG. Salue optume Rex. BAV. Et uos ſaluete, LEG. Magnus Turcarum imperator cum his literis ad te nos ire iuſſit, quas ubi legi mandaueris, quod ueniamus explicabimus. BAV. Lege has Abdisbar. ABDIS. Cedo: Soltan Baiazit magnus Turcarum imperator Baudeli Granatæ Regi. S.P.D. Qui tibi has reddidit, familiaris noſter eſt magnæ apud nos autoritatis & gratiæ: ei mandauimus, ut nõnulla noſtris uerbis tibi nuntiaret. Quare fidem ei habeas, & quæ ex eo acceperis, putato ex me ipſo accepiſſe. Vale ex urbe noſtra Conſtantinopoli decima Calend. Octobris. LEG. Optume Rex magno animi dolore nuper affectus eſt inclytus imperator Turcarum: quod accepit ex tam munito, & uiris, armis, equisq; affluenti regno, nihil tibi reliquum eſſe præter hanc unam urbem imperij tui domiciliũ,

&tot

& tot quondam Regum potentiſſimorum fortiſſimorumq́ parentem, quos ferunt uniuerſæ Europæ populisq́ Chriſtiani nominis ſæpe terrori fuiſſe. Reliqua omnia oppida, caſtella, urbes, prouinciasq́: partim belli impetu & terrore perculſas, deditiõe facta: partim & maiore quidem ex parte, ui ferroq́ expugnatas ac direptas, in hoſtium tuorum, imò cõmunium, ditionem iusq́ conceſſiſſe, metuendumq́ eſſe, niſi tibi aliunde ſuccurratur, mecum magna tua tuorumq́ clade, & ſimul Maomethis ſectatorum ignominia, aut hoſti ſuccumbas, aut turpem deditionem facere cogaris. Cumq́ animaduerteret hoc incendium, niſi celeriter extinguatur, aut ſaltem ſubductis fomentis imminuatur, facile poſſe latius diffundi, & Affricam primo, deinde etiam Aſiam fortaſſe corripere: ſtatuit ad commune incendiũ extinguendum, cõmunibus quoque uiribus occurrere, & pro uirili parte, tibi regnoq́ tuo, qua poſſet ope, non deeſſe. Itaq́ nos huc ad te legatos miſit, qui uerbis eius polliceremur, primo quoq; tempore, quo tempeſtiuum eſſet ad nauigandum mare, eum ingenti claſſe Siciliam Sardiniamq́ inuaſurum, & ita illic omnia igni ferroq́ uaſtaturum: ut Hiſpaniæ Rex, ſuorum clade perculſus, & in diuerſa diſtractus, ab hoc affecto & propè iam confecto bello deſiſtere, ſuisq́ opem ferre, ac potius de propulſando quàm de inferendo bello cogitare cogatur. Non minus autem libenter huc ad te ſubſidia imperator meus mitteret, niſi per tanta terrarum ac maris ſpatia abs te diuiſus, id ſibi difficillimum periculoſiſſimumq́ fore exiſtimaret. Quam ob rem optume Rex eius nomine te bono erectoq́ animo eſſe iubeo, hortorq́ ut interim has belli difficultates ac pericula, longæq́ obſidionis moleſtias, patiẽter ſubſtineas, & quiduis potius in animum inducas, quàm deditionem facere. Id eſt enim Chriſtianorũ ſuperbiæ ludibrio eſſe, & in turpem perpetuamq́ ſeruitutẽ te tuosq́ tradere ſpeesq́ deos & homines auxilio tibi non defuturos, niſi per ignauiã, puſillanimitatemq́ (quod de tantæ uirtutis uiro nefas eſt ſuſpicari) prius tibi ipſe defueris. Munera aũt hac læto animo uultuq́ ſuſcipe, ea eñ tibi de more Baiazit mittit, ut ſint fœderis & amicitiæ inter uos certiſſimum pignus, & monimentum. BAV. In tempore ipſo Legate cariſſime, cum iſtis mandatis te inclytus imperator tuus, & ipſa (ut reor) fata miſerunt. Ita eñ eram bello fractus, tot curis fatigatus, tot malis, tot aduerſis caſibus oppreſſus, ita ſpes omnes tanquã uanæ ex animo exciderãt, & iam nihil ferè aliud quàm de faciẽda deditione cogitarẽ. Nũc quando tam opportunũ ſubſidium mihi Baiazit pollicetur, certum eſt omnia experiri, extrema quæq́ pati, etiã ſi ad humanos cibos redigeremur (ut in ſimilibus, aut forte minoribus caſibus Hieroſolomitanos obſidẽte Tito, ac plerosq́ alios populos feciſſe tradunt) potius quam deditionem facere: præſertim cum plura imperatorem tuum quàm polliceatur, re

ipſa præſtiturum confidam, ea animi magnitudine, ea potẽtia, ea poſtremò fide illum eſſe omnes prædicant ſtatimq́ non committere, ut quando dij homines nos adiuuant (quod bene abs te dictum eſt) nobis metipſi defuiſſe uideamur. Gratiam autem quàm pro tantis erga me meritis illi referam, in hac præſertim afflicta fortuna, nullam habeo: ſed ſperare debet illum quem pie colit communem deum, qui benefacta hominũ audit ac uidet, ac pro meritis unicuiq; iuſta præmia tribuit: gratiam ſibi cumulatiſſimam relaturum. Ego uero ſi eius ope (quod ſpero) ſeruatus fuero, hoc imperium, hanc regiam dignitatem, & poſtremo hanc animam ipſam, quam ſpiro, illi acceptam referam, memoriamq́ tanti beneficij colam beniuolentia ſempiterna. Munera uero libenter accipio, eaq́ non tantum ut amicitiæ ac fœderis noſtri, ſed fidei, quam mihi ſeruaturus eſt, firmiſſimum pignus, perpetuumq́ monimentum inuiolata cuſtodiã. Vos munera iſtæc intro auferte, ac dicite architriclino ut cœnam mihi & his nobilibus hoſpitibus regio luxu paret, uolo enim nos hunc diem lætum feſtumq́ agere, & cum omni gaudio & alacritate celebrare. Tu uero legate cum tuis regiam ingredere, ut dum ego ſacrificijs interſum, ac deo noſtro pro tãtis meritis gratias ago, pauliſper requieſcas, & poſtea ſimul mecũ in cœna recreeris. LEGAT. Ego uero ac lubens, nam de uia feſſus, quiete præſertim indigeo.

FERDINANDVS REX. ELISABETHA REGINA. PETRVS MENDOZA CARDINALIS.

QVis hoc nõ admiretur, tanta hos perfidos Mauros præditos eſſe pertinacia atq; uecordia, ut cum undiq; adeò circunſepti, ut uix quiſquam niſi per incertos tramites & loca feris, capris penè inuia, ad eos penetrare poſſit, cum armis noſtris obſiſtere tamen diutius tolerare nequeunt, tamen deditionem (quam ſe dudum oſtenderant eſſe facturos) procraſtinent, & animum noſtrum iam ad maiora tendentem, in hoc ſegni bello detineant occupatum? Nam ſi in aciem ſæpe prodirẽt, minus ægre ferrẽ has obſidendi moleſtias. Sed poſt prima illa prælia, quibus noſtram militumq́ noſtrorum uim ac uirtutẽ ſenſerũt, ſemper ſe uallo ac mœnibus tutati ſunt, nec aperti certaminis copiam ullam fecere. REG. Sapiunt mea quidem ſentẽtia, nam ſtultiſſimi forent, ſi uirtute ac uiribus inferiores cum ſuperiore contenderent. REX. Quid igitur faciemus? REG. Nempe ut cœpiſti. Cum opus eſt fortitudine, alijsq́ bellicis uirtutibus, quibus polles plurimum, ut illis utaris. Cũ opus eſt patientia, ab qua nonnunquam (quæ tua eſt animi magnitudo atq; ferocia) uideris abhorrere, eam quoque amplectaris, omnia enim

tempus

tempus habent ſuum. Nunc meo iudicio, patientiæ tempus eſt, ut uidelicet poſtquam hyems grauis inſtat, neque manum conſerere audent hoſtes: neq; ſine manifeſto periculo ad urbis mœnia tanta militum frequētia, tot ſcorpionibus baliſtis, tormētiſq; bellicis munita, licet exercitum admouere, tuæ militumq; ſaluti conſulas, & æquo animo has belli moras perferas. CAR. Sapienter more ſuo, Regina tibi conſulit inuictiſſime Rex. Nam capitis adire periculum, niſi neceſſitas urgeat, non probo. Et ſanè quāto magis exuperas uirtute, tanto æquius eſt reginam, atq; adeò nos omnes, qui ex te pendemus, de tua ſalute eſſe ſollicitos, omneſq; caſus, qui homini accidere poſſunt, maturius expendere, & nonnunquā fortunam nimium fauentem metuere. REX. Fateor ita eſſe ut dicitis, ſed tamen ſtrenuis ducibus uetus illud uerbū in ore ſemp eſſe conſueuit: Non ſine periculo fit magnum facinus ac memorabile. REG. Ad id periculum ubi de uita agatur, te adire minime uelim. Quiſcis an breui, ſi pauliſper modo quieueris, ueniam hoſtes oratum uenient, ſeq; cum id minus exiſti mes, ultro dedant? REX. Nimis ſero id facturos arbitror, niſi eos omnibus modis & artibus terruerimus, niſi eos nunquam paſſi fuerimus quieſcere, niſi poſtremo omnes nos aditus explorare, omnes ad expugnationem urbis uias tentare pſenſerint. CARDI. Video te Rex inuadendæ urbis cupiditate flagrare, quod magnopere laudo. Nā id magnitudini animi debet aſcribi, uerū à Reginæ conſilio, quo te ad patientiam adhortatur, non ſine magna ratione diſcedendum puto. Nam ſi tibi iucundum eſt, glorioſumq; exiſtimas, in prælijs ſæpe uerſari, conſideres etiam oportet, non minorem ferè gloriam conſecutum eſſe Fabium Maximū, quàm Scipionem. Siquidem Hannibalem Scipio in acie uicit, eundem antea Fabius iuueniliter exultantem, patientia ſua domuit, & ut uinci poſſet effecit. Ille Africanus cognominatus eſt. Hic imperij ſcutum, & rei Romanæ reſtitutor à populo eſt uocatus. Imitatus es hactenus Scipionem fortiter dimicando, imitare nunc pauliſper Fabium ſapienter cunctando. REX. Laudo conſilium ueſtrum, & eo utar ſuo loco & tempore, ſed mihi nunc aliud ſuadet occaſio, quæ prætermittenda nō eſt. Nam & Scipionem, quem me dixiſti hactenus imitatum, & uere dixiſti, utinamq; ut eius uirtutem ſequor, ita aſſequi poſſem, ſed Scipionem ſolitum dicere accepimus, tūc eſſe cum hoſte confligendū, cum aut neceſſitas incidit, aut obuenit occaſio. REGINA. Dic obſecro mi uir, quæ eſt iſta occaſio, quam tibi in præſentia ſecus quàm nos cōſulimus, ſuadere dixiſti? REX. Dicam, neque enim fas eſt quicquam uobis eſſe abſconſum ac reconditum, ſed animum aduortite. REGINA. Iſtic ſum. CAR. Et quidem ego præſto ſum. REX. Explorator Didacus modo nuntiauit defenſores paucos eſſe in mœnibus, eóſque patientia noſtra, quia proximis

diebus

diebus pauliſper quieſcere permiſſi ſunt, factos eſſe multo negligentiores ſolito. Idem ait ſe animaduertiſſe in poſteriore urbis parte, locum quendam non ſatis munitum, muro illic uetuſtate collapſo, ſed uirgultis ſentibus & caprificis obtecto, eundemq́ locum ab hoſtibus negligenter cuſtodiri, quod ſit à caſtris noſtris auerſus, neq; ex ea parte fuerint hactenus ab exercitu noſtro uexati. REG. Quid igitur facere cogitas? REX. Si tacueris, citius audies. REG. Taceo, ac lubens, nam mulieri decus affert taciturnitas. REX. Hoc mihi ſedet in animo, quando hæc ſe præbet occaſio, belli tentare fortunam, lectiſſimos milites ex ea parte ubi locum dixi minus eſſe munitum, in inſidijs collocabo, reliquum exercitum, ad hanc partem, quæ caſtris oppoſita eſt, ad mœnia admouebo, hi ſcilicet pugnabũt acriter, totũq́ in ſe hoſtium impetum oculosq́ conuertent. Interim fortaſſe dabitur occaſio ijs, qui inſidijs erunt, mœnia defenſoribus uacua capiendi, in urbemq́ irrumpendi. CAR. Profecto prudentiſſime iſtud conſilium tibi uenit in mentem, idq́ magnopere laudo, nam proſpere gerendæ rei facultatem omittere, extrema dementia eſt. REG. Placet hoc tibi conſilium? CAR. Quid ni? cum ſit plenum prudentiæ. REG. Mihi quoq; ita uidetur. Sed ſi pugnare ſtatuis mi uir. REX. Statuo quidem. REG. Obſecro ne ad mœnia propius accedas, unde te baliſtæ aut tormẽta impetere poſſit, nimis enim miſere ea timeo. REX. Ne timueris: Deus enim cuius cauſam agimus, nos tuebitur, pugnabitq́ nobiſcũ. Tu modo (ut ſolita es) ad ipſum, ac diuum Iacobum, quem tam pie colis, preces fundito: confido enim pro ea religione ac pietate, quæ in te ſumma ſunt, tuis precibus uictoriam nobis poſſe impetrari: quemadmodum (ut ſacra narrat hiſtoria) populus Iſraëlita Moſe orante uincebat. REG. Vtinam quidem digna ſim quæ audiar, nam piæ preces non deerunt, ſed ſpero potius Deum (qui tuam ſibi deditam mentem intuetur) qua non ad tuam, ſed ad eius laudem & gloriam omnes actiones, conatus, cogitationesq́ tuas dirigis, uirtutem tuam adiuturum. REX. Ita pro ſua immenſa bonitate, non pro noſtris meritis (quæ perexigua ſunt) faxit. Heus tubicen admoneto omnes duces, centuriones & milites noſtros, ad pugnam ineundam ſe parent: ut cum tempus præliãdi mihi uiſum fuerit, nulla ſit mora: quin eos inſtructos in aciem educere ualeam. Eamus iam hinc in caſtra, ut ego quoq; arma induam, & milites adhorter. REG. I præ, nos te ſequemur.

HAMETES EXPLORATOR. MANSIR CVSTOS.

NAe ego infelix homo ſum, qui nihil unquã niſi moleſta ac triſtia regi meo nuntiẽ. MAN. Iuſſit me Rex hic in porta, quæ ad hoſtes ſpectat, dum ſacris intereſſet, ac cœnaret, aſſidere, & qui intrarent quiq; exirent, diligenter obſeruare, ac ſi quid

ex hoſtium

ex hoſtium caſtris noui afferretur, renuntiare. HAM. Sed mihi ad Regem properato opus eſt. MAN Quis eſt qui tam huc feſtinat, & ſecum neſcio quid fabulatur? HAM. Vt quamprimum Regem conueniam, & huius quicquid eſt participem faciem. MAN. Ibo obuiam homini, ut ſciam quid afferat, nam niſi me oculi fruſtrantur, explorator eſt Hametes. HAM. Niſi enim is ſtatim, quo ad poteſt, rebus ſuis ac noſtris conſuluerit, aut potius deus quiſpiā nos reſpexerit, actum eſt illicet, perimus. MAN. O Hamete. HAM. Quis me uult? MAN. Manſir amicus tuus. HAM. Quid eſt quod me uelis? MAN. Quid apportes ſcire uelim. HAM. Regius ſum explorator, non tuus. MAN. Verum, ſed tamen licet ne mihi hoc ſaltem ſcire, læta ne, an triſtia apportes? HAM. Iſtuc tibi uultus & color meus, me tacente, indicare poſſunt. MAN. Triſtia ergo ſunt, nam & ora pallor occupat, & triſtis ac perturbatus uideris. HAM. Bene ariolaris. Triſtia

BAVDELIS REX. HAMETES EXPLORATOR.

Rouiſo quid rerum gerat, an noſtri in officio ſint, & item an hoſtes noui quicquam (ut aſſolent) moliantur. HAM. Regem opportune uideo adibo propere. BAV. O Hamete. HAM. Salue Rex. BAV. Quid affers? HAM. Heu me miſerum. Non læta. BAV. Hem: Iſtuc haud mirum eſt, quippe qui per hoſce annos aliquot nunquam niſi talia nuntiaueris mihi. HAM. Vt res ſunt, ita nuntiū eſſe oportet. BAV. Eloquere uno uerbo quid id ſiet: Nam quandoq; magis cruciant expectata mala, quam præſentia. HAM. Regem Hiſpaniæ ex transfugis comperi, decreuiſſe exercitum omnem, cunctasq; belli machinas mœnibus admouere, & fortunam quæ hactenus ei ſemper arriſit, experiri ſuam. BAV. Ve miſero mihi. Nōnne hoc monſtri ſimile eſt, me non potuiſſe uel diem unum integrum lætum agere? Paulum gauiſus eram aduentu Legati imperatoris Turcarum, en ſtatim hic nuntius perturbauit omnia. Verum illud profecto uerbum eſt, quod à ſapientibus dici audio: Riſus dolore miſcetur, & extrema gaudij luctus occupat. Sed quē horſum feſtinantē uideo? Audalla curſor noſter eſt: aliquid credo apportabit eiuſmodi. Præſtolabor eum hic paulisper, nam iam hic aderit, ita in curſu uelox eſt. Interim cogitabo quæ mihi facto opus ſunt, ut hoſtium impetus, ſi urbem oppugnatum uenerint, propulſem. Nam quando tanta nobis ſubſidia promittunt, non decet me fracto & conſternato animo eſſe, & cōmittere, ut prius per ignauiā aut metum, hoſti ſuccumbamus, quàm à Turcarum imperatore ſuccurratur.

N AVDALLA

AVDVLLA CVRSOR. BAVDELIS REX.

VBi ego nunc regem quæram? qua potiſſimum inſiſtam uia? BAVDELIS. Quàm cito Audulla curriculũ euaſit, num me hominis celeritas fefellit? AVD. Regem opportune uideo. Rex æternum uiue. BAV. Quid eſt? AVD. Recte. BAVDELIS. Quid recte? AVD. Audies. Offendi modo Tabellarium Numidiæ regis, qui deceptis hoſtium excubijs magno cum periculo ſe euaſiſſe narrabat, aiebatq́ꝫ cum regis ſui litteris ac mãdatis quàm lætiſſimis ad te ꝑperare, quo audito ego præcucurri, ut te quamprimũ hoc afficerem gaudio. BAVDELIS. Vtinam tibi uera narrarit: Sæpe enim Tabellarij (ut uulgo dici ſolet) in ore mendacium, in tabellis ueritatem ferunt. Sed quicquid ſit, eum ad me intro deduci curato. Nam militibus edicere uolo, ut arma capiant, paratiq́ꝫ ſint, ut ſi hoſtis ad mœnia propius acceſſerit, & impetere & propulſare poſſint.

AVDVLLA CVRSOR. TABELLARIVS NVMIDIAE REGIS. PVER.

HOſpes quàm cito me conſecutus ês, non uideris ſanè laſſus de uia. TABEL. Aſſuetus ſum huic labori. Nam à puero Africam Europamq́ꝫ perferendis huc & illuc tabellis peragraui. AVD. Vere dictum eſt: Magni referre hoc uel illo modo ab ipſa adoleſcentia inſtitutum eſſe: Sed rex iam te expectat, ei enim aduentum tuum nunciaui. TABEL. Vbi is eſt? AVD. Intus. TABEL. Fac me ergo ad eum deduci. AVD. Ea inprimis gratia hic reſtiti: I puer & recta hunc in Regiam ducito. Ibi rex eſt, nam ego hic amicum pauliſper uolo operiri meum, mox ego quoque iſtuc conceſſero. PVER. Præſto ſum, tu me ſequere. TABEL. Propera, ſequor. AVD. Quàm gaudeo me primum Regi aduentum huius Tabellarij nutiaſſe: nam ſi uera mihi narrauit, aliquam apud Regem inibo gratiam, quod primus ei id gaudium obiecerim, & ſimul aliquo forſan munere (ut in talibus ſolet eſſe liberalis) me afficiet. Sed hic meus amicus ceſſat diu, ſi ad conſtitutum uenire uolebat, iamdudum eum hic adeſſe oportuerat. Nam quæ eſt hæc hominum impudentia? Non ſatis habent amicorum uti opera, niſi etiam eos longæ expectationis mora defatigent. Sed Rex foras exit, lætus eſt, quantum uideo, uerus fui nuntius. Ego uero ad meum munus abeo, ne Rex me hic uideat otioſum, nam compellendi eum non ſatis idoneum tempus uidetur.

BAVDELIS REX.

GRatias tibi ago ſumme Iupiter, qui me ex alto miſeratus, tandem tot miſerijs ærumniſq; noſtris diuinam aliquam opem præſtiturum te ſignificaſti. Tu enim (tu inquam) paulò ante Turcarum imperatori eam mentem indidiſti, ut inſulas hoſtis noſtri ditioni ſubiectas, proponeret inuadere. Tu idem nunc Numidiæ regis oculos hactenus calligantes aperuiſti, ut aliquando intelligeret, non poſſe hoc regnum cadere: quin ſecum magnam Africæ partem trahat, pariq; ruina inuoluat. Tu itaq; hoc ei in animum induxiſti, ut quod per literas ſuas, quas modo hic tabellarius reddidit, mihi oſtendit in auxilium noſtrũ, cum omnibus regni ſui uiribus, terra mariq; deſcendere proximo Vere decreuit. Quare pater omnipotens ne tanto tuo fauori deeſſem: Almanſorem præfectum cum omni equitatu, & meliore copiarum parte iuſſi poſteriore urbis porta exire, exercitumq; hoſtiũ nihil minus opinantẽ à tergo inuadere. Spero em̃ te duce, illum facile caſum uictoriæ inuenturũ, aut ſaltẽ eatenus profecturũ, ut hoſtis ſibi quoq; cauendũ eſſe cognoſcat, libẽtiusq; nos quieſcere patiatur: interim promiſſa ſubſidia hic aderunt, & non ſolum propulſare bellum, ſed etiã inferre poterimus. Nunc huc prodij, ut præſto eſſem, ſi illis auxilio opus foret, nam reliqua omnis copiarum pars in armis eſt, ſignum à nobis expectans, aut ſi hoſtis exercitũ ad muros admoueret, ut ad reſiſtendum parati eſſemus. Sed quid eſt hoc quod Regina ita exanimata ad nos egreditur? Non temere eſt, prodibo illi obuiam, ut quamprimũ quicquid, id eſt, ſciam,

REGINA GRANATAE. BAVDELIS REX. ANTYPHO SOMNIORVM CONIECTOR.

MIſerã me, quàm timeo quorſum euadant hæc uiſa ſomniorum? Sed eccum Regem uideo. Salue uir. Salue noſtra ſpes. BAV. Et tu quoq; ſalua ſis mea uxor, unde tibi iſta trepidatio? REG. Non abre eſt, quia uidelicet ſum de tua exercituſq; ſalute ſollicita. BAVDELIS. Iſtuc pudicæ, & uirum ſuum amantis matronæ eſt. Sed quid noui eſt, quod nũc magis ſolito ſis de nobis anxia. REG. Dicam tibi: Nam huc ea gratia ad te prodij. BAV. Dic quæſo quid eſt. REG. Accepi te mandaſſe Almanſori copiarũ tuarum præfecto, ut hoſtes adoriretur, id nollem factum. BAV. Cur nolles? REG. Quia præter id quod diſplicet, te tuam populiq; ſalutem in tam manifeſtum diſcrimen conieciſſe, ſomnium, quod proxima nocte uidi, maiorem in modum me terret. BAV. An tu ſomnijs credendum eſſe exiſtimas? REG. Quid ni? cum & ipſa in utranq; partẽ multa ſomnia

uera experta ſim, & à ſapientibus uiris acceperim, ſolere deos per ſomniũ futura nonnunquam mortalibus ſignificare: an non in tuorum ſapientũ numero & ſomniorum coniectores habes? BAV. Habeo quidem, ſed raro eorum opera utor, quanquam ipſi ſæpe mihi perſuadere conantur, ne ſomniorum monitus negligam, enumerantes Almicaris, Hannibalis, matris Phalaridis, Sophoclis, Socratis, & aliorum plurimorum tam philoſophorum quàm ducum ſomnia, quæ non magis ſomnia quàm oracula certiſſima fuiſſe contendunt. REG. Cum igitur ſomniorum ueritatem tot exemplis confirment, & pluribus rationibus aſſerere, ut credo, poſſint, cur fidem illis abnegas? BAV. Non abnego omnino, ſed non facile adducor, ut illis credam. Sed cedo iſtuc tuum ſomnium, REG. Viſa eram ſecundum quietem uidere ingenti ſuborta tempeſtate fulmen è cœlo magno cum fragore lapſum, templum quod Meſchit dicimus, magno motu concutere, Maomethis & aliorum prophetarum noſtrorum monimenta ad terram dare. Indeq; ſtatim in Africam tranſgreſſum, magnam eius prouinciæ partem depopularier. Quo ſomnio exterrita, è ſopore confeſtim corpus proripui, fuitq; in animo id tibi extemplo nuntiare, obteſtariq;, ne quid magnæ rei hodie aggredereris: Neſcio quid enim animus mihi præſagibat mali, ni uerita eſſem, ne me nimiam (ut ais) fidem ſomnijs adhibentem tuo more deluderes. Nunc cum accepiſſem te miſiſſe præfectum cum exercitu, qui cum hoſte confligeret, diutius mihi reticendum non putaui. BAV. Prudenter feciſti, nam & ſi ego non ſoleo magnopere huiuſmodi rebus moueri, tamen nihil omittere quod uſui aliquando eſſe, & ad capiendum conſilium pertinere poſſit, prudentis eſſe exiſtimo. præſertim cum ſomnium iſtud tuum tale ſit, ut uideatur negligi non debere. Aduocemus igitur Antyphonem, qui nobis hoc ſomnium coniectet: Nam is præter cæteros in hoc genere pollere exiſtimatur. ANTY. Eccum me, quid Rex iubes? BAV. Tun hic eras? ANTY. Eram quidem. BAV. Quid igitur hactenus reticuiſti? ANTY. Quia non decet ſeruum, domini ſe colloquio impudenter ingerere, & ſimul quia Reginæ ſomnium me magnopere perturbauit. BAV. An tu id audiſti? ANTY. Quid ni, qui inter hos comites tuos unà ſemper affuerim. BAV. Quid ſentis, aut quæ te res adeò, ut ais, peturbauit? ANTY. Non una ſed plurimæ Cæterum uelim Rex ut alios quoq; coniectores, ac Mathematicos tuos conuoces, qui mecum unà hoc ſomniũ interpretentur: Nam plurimorum iudicium certius eſt, & dici ſolet, illic eſſe ſalutem, ubi fuerint multa conſilia. BAV. Nihil opus eſt alijs. Nã plus uni tibi in hac arte tribuo, quàm reliquis omnibus. Ediſſere igitur mihi uno uerbo, ſi potes, quid ſibi uelit hoc ſomnium. ANTY. Dicam, licet inuitus. BAV. Eloquere ſubito. Nam me iſtæc tua plus torquet mo

ra.

Amilcar

ra. ANTY. Finem Regni tui iam affore, hoc ſomnio ſignificat. BAVDELIS. Hem. Vnde coniecturam facis? ANTYPHO. Dicam: Tempeſtas quam ſe uidiſſe in ſomnis Regina cōmemorat, bellum eſt, quo Regnum tuum, tanquam agri tempeſtate uaſtatum eſt. Fulmen, Hiſpaniæ Rex eſt qui nimirum à cœlo miſſus dici poteſt: Nam ut uides, illi cœlum & ſydera omnia fauent. Concuſſione templi & monimentorum in terram caſu, portendi autumno, hāc urbem breui in hoſtium poteſtatem uenturam, & in ea non amplius Maomethis legem, ſed Chriſti ſeruatam iri. Poſtremo tranſgreſſio eiuſdem fulminis in Africam, & illa depopulatio, manifeſto ſignificant, hac urbe capta, bellum in Africam traiecturum, Hiſpaniæq; Regem, ea prouincia impetu belli perculſa atque proſtrata, maiore ex parte potiturum. BAVDELIS. Heu me miſerum, quàm metuo, ne eueniant iſta quæ uaticinaris. Ita enim apte ſomniū illud interpretatus es, ut nō ſomniū, ſed oraculū aut hiſtoriā mihi uiderer audire. Quid igit̃ faciā Antypho? ANTYPHO. Quid facias, niſi ut iram dei, qui tibi nunc infenſus eſt, ſi poſſis, placare ſtudeas, ac tibi Regnoq; tuo, dum licet conſulas. BAVDELIS. Recte mones. Sed placandorum deorum munus ad te potiſſimum pertinet mea uxor, quæ cum religione ac pietate præſtes, facilius nobis numina irata reconciliare poteris. REGINA. Nihil faciam libentius: non quod pietate ſuperiorem me exiſtimem, ſed ut quemadmodam meo ſomnio mala fata tibi cognita ſunt, ita meis precibus, ſi fieri poſſit, eadem auertantur. BAVDELIS. Ita deus faxit, abi ſupplicatum. REGINA. Abeo, uos me ſequimini.

BAVDELIS REX. ANTYPHO. MESSI CVRSOR.

Nunc una ſpes eſt in exercitu noſtro qui ſi bene rem geſſerit, non erit tam cito fortaſſis omnino deſperandum. Si male, actum eſt illicet. Ita ne cenſes Antypho? ANTY. Quid ſentirem iam tibi explicui. Ita profecto ſomnio dei uoluntatem mihi perſpicere uiſus ſum, ut uix fieri poſſe putem, amplius ut læti quicquā aut ꝓſperi nuntiet̃. BAV. Tace. Iam ſciemus, num quæ in exercitu ſpes reliqua ſiet. Meſſi curſorē ex noſtris, qui cū præfecto exierat, huc ꝓperantē uideo: præſtolari uolo, ut primus ſciā qd boni aut mali afferat. Væ miſero mihi, ut animus inter ſpem & metū dubius trepidat: feſtina Meſſi, ut mihi nunc piger uidet̃. ANT. Non mirū. Nā cupido animo celeritas ipſa tarda eſt. Sed qd ꝓperas ſcire, quæ fortaſſe poſt uelles neſciſſe. BAV. Quoniā hoc more humani ingenij euenit, ut nimis miſeri mortales miſerias ſuas ſcire properēt. Meſſi, Satin ſalue? MES. Vtinā. BAV. Quid mali eſt? dic ſtatim mihi. MES. Exercitus. BAV. Quid

exercitus? MES. Tuus. BAV. Iam teneo, fuſus eſt? MES. Imò ad internitionem cæſus. BAV. Heu me miſerum, perij, interij, nullus ſum. ANTYPHO. Ne te crucia obſecro Rex. BAV. Occidit, occidit ſpes omnis, & fortuna noſtri nominis, exercitu amiſſo. ANT. Quin ſatius eſt, ut dum tempus eſt, priuſquam hoſtis uſus uictoria, mœnia inuadat, ſeniores & proceres tuos in cõcilium huc euocari iubeas, ac de eorum conſilio, tibi regnoq́ʒ tuo, quo ad fieri poſſit conſulas. BAV. Bene mones, præſertim cum ego præ dolore uix ſim apud me. Tu te me tigitur cura, ut Serraia cum reliquis, quos ſolitus ſum in rebus grauioribus conſulere, ſubito huc adſint, ANTYPHO. Curabitur. BAV. At celeriter. ANTYPHO. Iam faxo hic aderunt.

BAVDELIS REX. MESSI CVRSOR.

INterim uolo ex curſore rẽ certius cognoſcere. Dic mihi Meſſi, ſi exercitus noſter funditus deletus eſt, quonam modo tu incolumis euaſiſti? MES. Dicam tibi, prælium in cõualle iſtac ſiniſtrorſum commiſſum eſt, me præfectus in ædito ac tuto monte, unde ſpectari poſſent omnia, locarat, quo tibi uictoriæ, aut fugæ nuntius eſſem, cuncta itaqʒ uidi, & ad tẽ propere cucurri. BAV. Cedo: Ipſe præfectus quid? MESSI. Occidit unà cum cæteris. Strenuiſſimus enim quiſqʒ in pugna cecidit, pauci admodum uiui, licet grauiter ſaucij, in poteſtatem hoſtiũ redacti. BAVDELIS. Quid, Rex ipſe in prælio interfuit? MESSI. Non interſuit ſolum, ſed præfuit, uidi ego illum noſtrorum ſanguine madentem, per totum agmen manibus, oculis, clamore uolitare, & ſtrenui militis & optimi ſimul imperatoris officia exequi. BAV. Male eſt mihi, reuertere ad tuam ſpeculam, ut obſerues, quid hoſtes parta uictoria moliantur. MESSI. Fiat.

BAVDELIS REX.

O Fortuna quæ ſoles eſſe tam inconſtans & uaria, ut in meam meorumq́ʒ cladem ac pernitiem conſtans & certa es? Decimus agitur annus, ex quo nullum ferè diem lætum exegi. Omnia ſemper aduerſa fuere. Raro quicquam niſi turbulentum, triſte, ac moleſtum aut audiui, aut uidi. Res dura, ſpes multo fuit aſperior: hodie paululum gauiſus eram aduentu legatorum, heu miſero mihi, quàm cito ad luctum & lacrymas ea gaudia reciderunt. Sed eccum Antyphonem, cum Serraia & reliquis ſenioribus adeſſe uideo.

ANTYPHO.

ANTYPHO. SERRAIA. BAVDELIS REX.
HALI CONSVLTOR.

Ita ne cenſetis? SERRAIA. Prorſus ita Nam nulla alia ſalutis uia oſtenditur. BAVDELIS. Heus Antypho Diligens fuiſti in mandatis noſtris obeundis. ANTYPHO. Meo functus ſum officio. Sed non fuit opus me in his conuocandis magnopere laborare. Nam audita clade exercitus, quam incertis rumoribus neſcio quo modo acceperant, ſponte conuenerant omnes. Iamq́ue huc ad te ibant, te ut orarent, tandem aliquando tuæ communiq́ue omnium ſaluti proſpiceres. BAVDELIS. Audierunt ne quæ geſta ſunt omnia? ANT. Plura quàm uellent. BAVDELIS. Vidiſtis ne unquam hominem infeliciorem, quã ego ſum? SER. Me, atq́ue adeò hos omnes collegas meos, quippe qui tuam ac noſtram uicem doleamus. BAVDELIS. Non ita eſt. Nam quo meus ſtatus eſt ſublimior, eo caſus eſt altior, & ruina grauior. SER. Verum eſt, ſed tu ſtare potes nobis cadentibus, nos te cadente, ſalui eſſe non poſſumus. BAV. Miſſa hæc faciamus, quid tandem in tanta aduerſitate fortunæ mihi cõſulitis? SER. Dicant ipſi, quibus cum, ut iuſſiſti communicaui omnia. Nam quid ego ſentirem, in initio cum nondum eſſet ſubſecuta clades exercitus, tibi explicui. BAV. Dic Hali quid tibi uidetur? HALI. Mene? BAV. Te ergo, quem ut ætate, ita prudentia cæteros ante ire par eſt. HALI. De prudentia alij iudicent, ſtudium certe & fidem erga te meam, ſummamq́ue in conſulendo libertatem, tute noſti. BAV. Nil deeſt tibi quod ad fidum amicum, & ſummum uirum pertineat. Sed dic quid conſilij mihi capiundum ſit. HALI. Quando ita iubes, dicam id quod mecũ una omnes iſti ſentiunt. Nam iamdudũ inter nos hanc rem tractamus, & ſuper ea diſceptamus. BAV. Hem iſtuc uolo, & ſi potes, uno uerbo expedi. HA. Iam omnes quamprimum deditionem tibi faciendam eſſe cenſemus. BAV. Hem. HALI. Quid dubitas? cum id non modo neceſſarium, uerum etiam utile ſit. BAVDE. Quomodo? HALI. Primum uides amiſſo exercitu & omni flore iuuentutis, nullam tibi amplius in armis ſpem fore, metuẽdumq́ue eſſe ne hoſtis, tanta uictoria elatus, mœnia inuadat. Quod ſi fit, perimus omnes illicet. Vt enĩ urbe expugnata (quod tantæ potentiæ ac uirtutis uiro erit perfacile) aut mortem crudeliter oppetemus, aut in prædam miſerandamq́ue ſeruitutem, una cum coniugibus & liberis trahemur. Deinde, ut hoſtis quieſcat q̃d (mihi crede) haud faciet, nõ itelligis hunc populũ, tanta ſenum, puerorũ, ac mulierũ turba ſuperſtite, cum iam omniũ nos alimentorũ genera defecerint, famem diutius tolerare nõ poſſe? Nã in externis auxilijs ſpem ponere, ea uero ſumma foret demẽtia. Vt enĩ omittã, q́ue ea iampridẽ fruſtra expectamus, illud dico, ſi uniuerſa Aſia

& Africa

& Africa in auxilium noſtrum conſurgeret, uix fieri poſſe, ut hanc urbem ex faucibus imminentis hoſtis, iam, iamq́ abſorbentis eriperet. BAV. Quæ nos uis belli urgeat, & famis neceſſitas, ſat ſcio. Sed ego mortẽ ſeruituti anteponendam puto. Nam quid eſt aliud ſe dedere, quàm in ſeruitutem ſe hoſti addicere. HALI. Non ita eſt Rex. Magni enim referre arbitror cui te dedas. Primum Ferdinãdo & Elliſabethæ Hiſpaniarũ principibus ſubeſſe, non ſeruitus ſed libertas appellanda eſt. Sunt enim (ut noſtri quoq; fatentur, & conſtans fama prædicat) tantæ humanitatis, manſuetudinis, atq; clementiæ: tantum in ſumma poteſtate rerum omnium modum tenent, adeò deniq; ſunt omnibus animi & corporis dotibus ornati, ut beatius penè uideatur, illis ſeruire, quàm aliis imperare. Deinde ſi te ſponte dedideris, non ut ſeruum, ſed ut clientem, & amicũ in ſuam fidem, qua ſunt benignitate (mihi crede) recipient. Rondenſes, Loſcani, & pleriq; alij, qui ſe ſponte dedidere, quibus nihil penè ademptum eſt, præter iniuriæ licentiam, quiq; pari quodammodo iure cum Hiſpanis uiuũt, Regiæ humanitatis & clementiæ locupletiſſimi teſtes ſunt. At Malacenſes (ut alios ſileã) qui obſtinatis animis belli impetum experiri uoluerũt, patria capta & direpta, in catenis per omnem Europam tracti, ſuo ludibrio omnes gentes impleuerunt. Poſtremo ſi tibi conſilium caperes, forſan tuam iſtam animi magnitudinẽ non improbarẽ, qua dicere ſoles, præſtare uirorum more, pugnantes occumbere, quàm ulli hominum ſubeſſe. Nunc cum ſimul etiam deliberandũ tibi ſit, de coniugibus & liberis, atq; omni populo ditioni tuæ ſubdito, ſi tibi minus parcis, at illis parcas, & tua pertinacia non committas, ut ea illis eueniant, quæ urbe capta uictis accidere ſolent, quæ quidẽ talia ſunt, ut ea fugiat ac reformidet oratio. Quare cum neceſſitas te, ut fateris, urgeat, utile ſit, & non indecorum tam modeſtis, tam mitibus, tam omni uirtutum genere præſtantibus principibus colla ſubmittere: nihil cunctandum, quin ſtatim deditionem facias, cenſeo. BAV. Ita uobis uidetur. HALI. Non ſolum uidetur, ſed id ut facias, etiam atq; etiam obſecramus. BAV. Fiat. Nam malo uobiſcũ errare, quàm mea prudentia fretus, recte ſentire. Eamus igitur intro, ut oratores eligam, & ea, quæ ad deditionem faciendam pertinent, parem.

GVTTERIVS PRAECEPTOR MAIOR EQVITVM IACOBENSIVM. FERDINANDVS REX. PETRVS CARDINALIS.

IStut dixti Rex. Non enim ſatis eſt bono imperatori uincere, niſi etiam uictoria uti ſciat. REX. Et propterea quando hæc uictoria nobis cœlitus data eſt, decreui, ut ſoleo, ſucceſſus meos urgere, numinũq; fauori inſtare. Atq; ea gratia

huc

hucprodij,ut hinc procul conſiderarem,in quâm potiſſimum murorum partem machinas dirigam,qua uineæ agendæ,ubi ſcalæ admouẽdæ ſint, ubi equitatus,ubi peditatus diſponendi,ubi inſidiæ collocandæ. GVT. Sed quis unquam putaſſet Mauros iſtos auſuros eſſe exercitum tuum ultro laceſſere,cum plures iam mẽſes præ timore portas urbis egredi formidarint? REX. At ſuæ ſtultitiæ ac temeritatis debitas pœnas dederũt. Verum hoc nihil eſt.Cras faxo ut noſtram ac militum uim melius ſentiant.Certum eſt enim urbem cras primo mane,omnibus uiribus totâque belli mole adoriri,indeq́; non niſi ea expugnata & ſolo æquata diſcedere. GVT. Facile id fuerit, ſi tua uirtute ac militum robore uti uolueris. REX. Ita ſpero. Sed ego hactenus hanc expugnationem diſtuli, quod oſtendebant hoſtes,quotidie ferè deditionem ſeſe facturos. Ego autem militum ſaluti,(quos filiorum loco diligo) proſpiciẽs, libentius longæ obſidionis tædia ſufferebam,quàm eos in diſcrimen adducerem. CAR. Rex uiden tu illos urbe exeuntes? REX. Video nunc, poſtquam oculos in eos conieci. Sed quos nam eos fore putemus,aut quid ferre deniq́;? CARDI. Neſcio,niſi quod inermes horſum ueniunt, & ſi ſatis cerno, oliuæ ramum paciferæ,manibus geſtant. REX. Demiror hoc quid ſit, niſi forte ſint Oratores,qui ueniant ut ſe dedant,ueniam pacemq́; poſtulent. CARDINA. Bene ſibi,ſi id fecerint,conſulent. REX. Neſcio quid inter ſe colloquuntur, aucupemur eorum ſermonem, & eo pacto, quid ueniant,ſciemus. CARDINALIS. Iſtuc optimum eſt.

ORATOR BAVDELIS REGIS CARDINALIS. FERDINANDVS REX. GVTTERIVS.

PRofecto quanto magis magisq́; cogito, tanto magis hanc deditionem laudo. CARDI. Audin tu illum? Neſcio quid de deditione loquitur. REX. Audio. ORATOR. Nam hac potiſſimum uia,ſalutem nobis, coniugibus, liberisq́; noſtris parabimus,& urbem direptione excidioq́;, quod imminebat liberabimus. CARDINALIS. Non dubium eſt,quantum audio ,quin iſti deditionem facturi ueniant. REX. Ipſi uiderint. Nam ego utrum malim, neſcio: ſi enim ſe ſponte dediderint, militum ſaluti (quos in diſcrimẽ adducere non erit neceſſe) proſpexero. Sin obſtinato animo obſidium tolerare uoluerint, uirtutis exercendæ adipiſcendæ gloriæ latiorem campum præbuerint: ſiquidem magis uirtus eniteſcet, & cumulatior erit noſtra gloria, ui & armis expugnata Granata, quod breui conſequemur, quam ſpontanea hoſtium deditione recepta. ORATOR. Opportune Rex adeſt,& non præuideram. Procidamus ei ad pedes. Salue Rex inui‐

ctiſſime,& omnium quos terra ſubſtinet, gloria & honore digniſſime. Cum te non lateat quàm graue durumq́; uideri debeat homini cum Regia dignitate nato, & ab ipſis penè incunabulis, pluribus populis gentibusq́; imperare aſſueto, alienæ ſe ditioni ſponte ſubijcere, exiſtimare merito potes, non ſine ſumma urgentiq́; ratione Baudelim Regē hactenus noſtrū, deditionis faciendæ (cuius gratiæ nunc ad te Magnanime Rex uenimus) conſiliū cœpiſſe. Licet enim fames, ferrum, ac poſtremo rerum omnium difficultas ad hoc illum impellere uideantur, tamē (mihi crede) plus apud eum, nosq́; omnes opinio & quodammodo certa ſpes tuæ bonitatis, fidei, atq; clementiæ ualuit. Niſi enim ipſe, omnisq́; populus eius ditioni ſubiectus te his, quas modo nominaui, reliquisq́; tuis ſingularibus uirtutibus erga ſe uſurum confideret, quibus potius perpeti, quàm tibi ſe tradere cogitaſſet. Non deerat profecto nobis animus, ſi uis ferri urgeret, mortem fortiter pugnando oppetere, aut fame ingraueſcente, eam quoquo modo tolerare patienter, donec aut amici promiſſa ſubſidia mitterent, aut deus fortaſſe quiſpiam nos reſpiceret. Verum hæc (quam dixi) opinio, & ſpes de tua ſumma bonitate perſuaſit, ut uiuere etiam nūc Baudeli ac nobis omnibus libeat, neq; pudeat, tibi tam inclyto Regi, tam benigno miſericordiq́; uictori, ceruices ſummittere. Itaq; Baudelis nomine, ipſum, omnem populum, urbem, agros, diuina humanaq́; omnia in ditionem arbitratumq́; tuum tradimus. Nunc tuum fuerit, ne illum nosq́; ſimul hæc ſpes fruſtretur, prouidere. Quod ut facias etiam atq; etiā ſuppliciter oramus & obſecramus. REX. Prudēter factum eſt a rege ueſtro ac uobis: quod noſtram benignitatē quàm uim & arma experiri maluiſtis, quodq́; nullum uobis eſſe ad ſalutem tutiorem portum intellexiſtis, quàm ad noſtram fidem clementiamq́; confugere. Quod ne fruſtra feceritis, ſedulo à nobis (bono animo eſtote) curabitur. ORAT. Ita ſperamus optume Rex. REX. Cæterum quo certior ſim huic deditioni nullum ſubeſſe dolum, iubeat ſtatim Rex nobilium liberos obſides dari mihi, arma omnia huc transferri, captiuos ex Chriſtianis, quotquot in urbe ſunt (quorum ſalus ac libertas mihi præcipue cordi ſunt) ad me deduci. ORATOR. Et hæc & alia quæcunq; iuſſeris, faciet, ac lubens Baudelis ſeruus tuus, ne dubitaueris. REX. Ite ergo & hæc curate. ORATOR. Factum puta. REX. Tu Guttericum lecta peditū manu paratus ſis, ut cum obſides dederint, & huc arma detulerint, urbem recipias: portas, arcē, munitaq́; omnia urbis loca, ualidiſſimo præſidio firmes. Id ubi feceris, ex ſumma arcis turre ſolita noſtra ſigna extollito. Tibi eñ tanquā præceptori maiori equitum Iacobenſium, merito debetur hic honor & labor. GVTTE. Nihil unquam in omni uita feci libētius, quàm hoc facturus ſum, etiam ſi uitæ periculum, (quod nullum imminet, mihi

eſſet

eſſet ad eundum. Nam quid mihi poteſt euenire glorioſius, quàm me primum poſt tot ſæcula, in arce Granatæ, dei noſtri & tua uictoria ſigna collocaſſe? Vos cõmilitones mei, eia arma ſumite, & mecum ad urbis portas propius accedite, nolo enim ut ulla ſit mora, quin ſtatim, cum tempus fuerit, urbe potiamur. CARDI. Quantæ tibi Rex laudi, & quàm immortali gloriæ hoc fore putandum eſt, cuius cõſilio, ductu, ac uirtute ſingulari, hoc tam diuturnum, tam crudele, tam inteſtinum, ac uiſceribus ipſis Chriſti fidelium inhærens inceptũ, adminiſtratum & cõfectum eſt bellum? Cum tantum Gutterius noſter (& merito quidem) iam nunc glorietur, ſe primum Granatæ portas & arcem, tuo nomine uictorem intraturum. REX. Quin potius deo noſtro, à quo emanant bona cuncta, gratias agamus. CARDI. Vt pium & catholicum principem decet loqueris, & uere. Deus enim tibi eam mentẽ indidit, ut ſolus eam maculam delere uelles, quæ iam inſederat, ac per tot ſæcula inueterauerat in populi Chriſtiani nomine, quod Maomethis ſectatores, qui Aſiam iamdudum nobis Africamq́ eripuerant, non modo ſuis latiſſimis terminis contenti non eſſent, ſed in Europa, peculiari noſtra debaccharentur. Idem in ſuſcepto, contra perfidos iſtos Mauros bello, iſtam conſtantiam & patientiam contulis, ut nullo labore, nulla inædia, nullis uigilijs, nullis deniq; incommodis moleſtijsq; frangereris. Idem in tot maris ac terræ periculis incolumem te cuſtodiuit, & poſtremo ad hunc ſeruauit diem, ut quod maiores noſtri ſemper optarunt, ſperauerunt nunquam: Granatam cum uniuerſo eius Regno, uideas tuis armis, tuo conſilio, ac ſingulari uirtute ſubactam, domitam, ac pacatam, in tuam ac Chriſtianorum poteſtatem deueniſſe. REX. Eſt ita ut dicis. Ego hæc & ſi qua alia ſunt in me, quæ digna ſint laude, uni deo accepta refero. Sed eccum arma exportant, obſidesq́ ad nos adducunt: dubitari non poteſt, quin ſint ingenui & nobilium liberi, ita ſunt facie liberali. Heus comites mei, illos ſuſcipite, & curate ut per ueſtra diſtributi tentoria, diligenter cuſtodiantur, & ſimul arma in templum referantur. Hem: optime eſt. Gutterius noſter perbenigne in urbem recipitur. CARDINA. At ego iſtuc non aduerteram. O factum bene. uerum aliud ſperandum non fuit. REX. Sed optimum factum eſt: me huc euocare exercitum ad me. I tubicen: & Præfectos, Tribunos, Centuriones, reliquosq́ ductores exercitus: meis uerbis moneto, ut cum omnibus copijs, tanquam ſi cum hoſte dimicandum eſſet inſtructi, quamprimum huc ad adſint. CARDINA. Prudentiſſimi (ut ſoles) imperatoris officio fungeris: dum ita te comparas, ita ad omnes caſus, tam proſperos quàm aduerſos inſtructus: & multo ante paratus es: ut nihil quicquam accidere poſſit, quo dicendum tibi ſit: non putaram. Nam ſi hoſtes in fide mãſerint: tuto & honorifice cum omni equitatu &

pedita tu urbem ingredieris. Sin quis dolus aut fraus ſubſit (quod uix credibile eſt in tanta ipſorum clade ac rerum omnium deſperatione) paratus eris, qui eorum perfidiam ulciſcaris. REX. Dicis id quod res habet. Sed uideon ego, an non, crucis ſignum in ſumma arce eleuatum? & ſanè niſi me oculi fallunt, ipſum eſt. CARDINA. Recte uides, illud ipſum eſt. Iam igitur arx cum urbe tota, libere in manu eſt tua. REX. Adoremus eam. CARDI. Iuſtum eſt. REX. Et pro tantis erga nos meritis deo gratias agamus. CARDINA. Aequiſſimum. Sed cum tantis rebus nullæ uoces ſufficiant, efficatius corde, cuius ſcrutator eſt deus, ſatisfieri poterit. REX. Ita eſt. CARDINA. Eccum autem poſt crucem, diui Iacobi uexillum, ac deinde tuum elatum eſt. REX. Bene iſtuc. Nam Diuus Iacobus Dux & aduocatus noſter eſt, & illi cum beata uirgine poſt deum uictoriam hanc referre debemus acceptam. CARDI. Sed præconem è ſumma arce ſilentium ſibi tubæ cantu poſcentem, uiſus ſum audire. REX. Et quidem ego. CARDI. Attendamus quæſo quidnam dicturus ſit. REX. Placet.

PRAECO.

Viuant uiuant æterna laudeatq́ gloria Ferdinãdus & Eliſabetha Rex & Regina Hiſpaniarum illuſtres, quorum opera, ductu felicibusq́ auſpicijs, ſummo labore, incredibili uirtute, diuino conſilio, potentiſſima hæc urbs Granata, cum omnibus prouincijs, ciuitatibus, caſtellis & oppidis, eius imperio ſubiectis, Deo duce, Regina cœli Maria, diuoq́ Iacobo Hiſpaniæ patrono, ſuffragantibus, Beatiſſimo patre noſtro Innocẽtio octauo, Pontifice Maximo, liberaliſſime opitulante. Ad hoc præſulibus, principibus, ciuitatibusq́ caſtellæ, pro ſe quibusq́ ſedulo elaborãtibus, ex impia & tenebricoſa Maomethana ſeruitute eruta, in ueri dei lumen translata eſt & Regnum.

CARDINALIS. FERDINANDVS REX.

Anè præmio dignus eſt præco, qui tam egregie ſuo functus eſt munere, licet plurima quæ in tuam Reginæq́ laudem & gloriam uere dici poterant, prætermiſerit. REX. Mihi ſat eſt recte feciſſe. Nam gloria, etiam ſi id nõ agamus, tanquam umbra corpus, benefacta conſequitur.

CAPTIVI.

CAPTIVI. CARDINALIS. FERDINANDVS REX.

BEnedictus dominus deus Iſraël, quia uiſitauit, & fecit redemptionem plebis ſuæ. CARDINALIS. Canentes neſcio quos audio. REX. Agmen eſt eorum, quos ex noſtris captos Mauri diu in compedibus & uinculis tenuerunt. Miſerum me, ut ſunt ſenti, ſqualliди, luridi, laceri, toto denicꝫ habitu uultus & corporis deformati. CARDI. Tales ſunt, ut uix uxores & liberi eos agnoſcere poſſe uideantur. REX. Cuius mentem, uel ferream, miſericordia non tangat, ſi eius oculis tam dirum ſpectaculum ſit obiectum? Procedamus paululum illis obuiam. Si enim ſeruitutem iſtam æquo animo propter fidem tulerunt, in martyrum quodammodo numerum referri poſſunt. CAPTI. Rex æternum uiue, cui tantum debemus, quantum hominem homini debere uix fas eſt. Tu enim nobis libertatem, quæ bonis uita eſt carior. Tu patriam, qua nihil eſt iucundius. Tu liberis noſtris parentes: Nobis liberos. Tu cõiugibus noſtris uiros, nobis coniuges. Tu propinquos, affines, amicos, fortunas, & denicꝫ noſmetipſos nobis reddiſti: omnia quæ ab homine optari poſſunt bona, ſimul cum libertate amiſeramus, ea nobis per te hodierna die reſtituta ſunt. Pro quibus omnibus gratias tibi agere ſuperuacaneum eſt. Quis enim pro immortalibus tuis erga nos meritis conuenire exiſtimet, ut tam uili munere defungamur orationis? Gratiam autem referre non eſt noſtræ facultatis, ſed eam ſperare debes ab illo, cuius uexilla ſecutus glorioſam hanc de hoſtibus eius uictoriam reportaſti, qui pia hominum facta ex alto proſpiciens, ſingulis præmia digna muneratur. Nos quod poſſumus, te nõ ſolum ut Regem id quod es: ſed ut parentem, & ſi fas eſt dicere, deum ſalutis noſtræ, uitæ, libertatis, fortunæ colemus, & dum ſpiritus hos artus reget, obſeruabimus. REX. Necꝫ à uobis, neque adeò à quoquam hominum iſtas gratiarum actiones unquam deſiderauimus. Id mihi iucundiſſimum eſt, uos uidere liberos & incolumes, pro quorum ſalute, acrius quàm pro imperij propagatione & gloria dimicauimus. CARDI. Iſtuc recte. Satius quippe eſt & glorioſius ciuem unum ſeruare quam multos hoſtes perdere. REX. Tu diſpenſator hos in caſtra ad Reginam deduci to, & abluto ſquallore, congruentibus ueſtibus exorna, nihilcꝫ quod ad cultũ aut uictum pertineat, eis deſieri patiaris. Vos uero bono animo eſtote. CAP. Quidni ſimus? cum te uiuum ac uictorẽ uideamus.

REX. CARDINALIS.

OPportune Reginæ mentio incidit, eam cum principe cæte-
riſq́ liberis noſtris quamprimum huc adeſſe oportet, ut no-
biſcum unà urbem ingrediatur, ſitq́ nunc particeps honoris
& lætitiæ, ita ut hactenus particeps ſociaq́ fuit laborum, ui-
giliarum, periculorum. CARDINA. Imitata eſt Ipſycrateam, quæ
uirum in caſtra ac per omnia bellorum diſcrimina ſecuta eſt. Sed tua: cō
ſilio, prudentia, animi magnitudine, longe illa ſuperior eſt. Nam de pudi
citia, qua Lucrætiæ par eſt: amore cōiugali, quo Iuliæ Pompeij, aut Por
tiæ Bruti non cedit, reliquiſq́ uirtutibus, quæ ad conſummatā matro-
nam ſpectant, dicere ſuperuacaneum eſt. REX. Hui tu mihi illam lau
das. Sat ſcio nihil tam magnifice dici poſſe, quin id excellens ac diuina illi-
us uirtus longe exuperet. Puer curre propere, ac Reginam cum liberis,
reliquoq́ comitatu huc meis uerbis euoca. Sed Baudelis egreditur cum
ſuis ſatrapis. Neſcio quid mœſtus ſecum loquitur. Cōcedamus hinc pau-
lulum ad dexteram, ut nos tardius uideat, poſſumuſq́ interea ſermo-
nes eius aucupari.

BAVDELIS. FERDINANDVS REX.
CARDINALIS.

QVis unquam exiſtimaſſet, qui annos ab hinc decem me tot di
uitijs opibuſq́ affluentem, tanto equitatu ac peditatu ſtipa-
tum, tot oppidis, caſtellis, urbibus, opere ac natura munitiſſi
mis cinctum undiq́ ac uallatum, omni deniq́ bonorum co-
pia florentem uidiſſet, fore aliquādo, ut in has ærumnas miſeriaſq́, quæ
nunc me premunt, inciderem? O fortuna, quæ dici ſoles nunquam eſſe
perpetuo bona, ut ex illo tempore, ad hoc, aduerſum me es perpetuo ma-
la? REX. Hic mihi conſolandus eſt, ne ſe adeò maceret. CARDINA.
Bene factum. REX. Nihil eſt Baudeli quod tantopere fortunam la-
menteris tuam. BAVDELIS. O ſalue Rex inuictiſſime. Nuper tibi
urbem cum omnibus meis fortunis tradidi. Nunc meipſum, coniugem, li-
beros, ſpeſq́ omnes meas: & ſi quid eſt mihi amplius reliquum, abſq́ ulla
exceptione dedo. Illud duntaxat per tuā iſtā dexteram uictoria, & fide glo
rioſam te oro, ut cū de me, coniuge liberiſq́ deliberare uoles, non uicto
riam (quæ natura inſolens & ſuperba eſt) ſed tuum mitiſſimum ingeni-
um, tuam ſolitam humanitatem, manſuetudinem, clemētiam, quas ego-
met, dum tuus captiuus fui, expertus ſum, in conſilium adhibeas, for-
tunámque, cui tantum de me licuit, reuereare. REX. Exurge ac bo-
num habeto animum. Senſiſti hactenus, quantum aduerſus hoſtes in bel
lo ualerem, qualis uero in pace ſim, præſertim aduerſos eos, qui ad no-

ſtram

ſtram fidem miſericordiamq́ confugerunt, poſthac ſenties, erisq́ documento cæteris, ut experiri malint, quid poſſim prodeſſe amicus, quàm obeſſe inimicus. Vos eũ in caſtra comitamini, urbi curate ut honorifice accipiatur. Sed heus cõcedite iſtorſum ad ſiniſtram, ne is Reginam ad nos (ut uideo) cum comitũ ſuorum pompa, aduentantẽ uſquam remoretur.

REGINA. REX FERDINANDVS.

SAlue Rex. Omnia tibi ex ſententia hodie obtigiſſe maximopere gaudeo. REX. Credo. Quandoquidem tu mearum omnium uoluptatũ, honoris, & gloriæ particeps & ſocia es. Introeamus iam urbem, ut eius poſſeſſione (quod tot ſuſpirijs, tot uotis nos ac maiores noſtri tam diu optauere) tandem aliquãdo perfruamur. Deoq́ noſtro gratias agamus, qui tot curis, tot diſpendijs, tot moleſtijs, laboribus, periculisq́ noſtris, finem hodierna die imponere, fidemq́ ſuam ſanctiſſimam per nos miniſtros ſuos amplificare & exaltare dignatus eſt. REGI. Iſtuc ſi grati eſſe uolumus, ut certe uolumus, iuſtiſſimum eſt. REX. Eamus iam intro. REGI. In me nulla eſt mora. Vos ualete & plaudite.

Finis dialogi expugnationis regni Granatæ.

CRISTO,

CRISTOPHERI COLOM DE INSVLIS NVPER INVENTIS IN MARI INDICO SVB FERDINANDO REGE HISPANIArum epiſtola, ad magnificum dominum Raphaëlem Sanxis: deinde per Alexandrum de Coſco latinitate donatum.

QVONIAM ſuſceptæ prouinciæ rem perfectam me conſecutum fuiſſe, gratum tibi fore ſcio: hac conſtitui exarare, quæ te uniuſcuiuſq; rei in hoc noſtro itinere geſtæ inuentæq; admoneant. Triceſimotertio die poſtquam Gadibus diſceſſi, in mare Indicum perueni, ubi plurimas Inſulas innumeris hominibus inhabitatas reperi, quarum omnium pro feliciſſimo Rege noſtro, præconio celebrato, & uexillis extenſis, contradicente nemine poſſeſſionem accepi, primæq; earum, diui Saluatoris nomẽ impoſui, cuius fretus auxilio, tam ad hanc quàm ad cæteras alias peruenimus: Eam uero Indi Guanahanyn uocant. Aliarum etiam unamquãq; nouo nomine nuncupaui. Quippe aliam inſulam Sanctæ Mariæ Conceptionis, aliam Fernandinam, aliam Hyſabellam, aliam Iohannam, & ſic de reliquis appellari iuſſi. Quam primum in eam Inſulam (quam dudum Iohannã uocari dixi) appulimus: iuxta eius litus occidentem uerſus aliquantulum proceſſi, tanq; eam magnam nullo reperto fine inueni, ut non inſulam, ſed continentem Cathay prouinciam eſſe crediderim, nulla tamen uidens oppida, municipiáue in maritimis ſita confinibus, præter aliquos uicos & prædia ruſtica, cum quorum incolis loqui nequibam, quare ſimul ac nos uidebant ſurripiebant fugam. Progrediebar ultra, exiſtimans aliquam me urbem uillásue inuenturum. Deniq; uidens quod longe admodum progreſſis, nihil noui emergebat, & huiuſmodi uia nos ad Septentrionem deferebat (quod ipſe fugere exoptabã, terris etenim regnabat bruma) ad auſtrũq; erat in uoto contendere, nec minus uenti flagitantibus ſuccedebãt: cõſtitui alios non operiri ſucceſſus, & ſic retrocedẽs, ad portum quendam (quem ſignaueram) ſum reuerſus, unde duos homines ex noſtris in terram miſi, qui inueſtigarẽt, eſſet ne Rex in ea prouincia, urbẽſue aliquæ. Hi per tres dies ambularũt inueneruntq; innumeros populos & habitationes, paruas tamen & abſque ullo regimine, qua propter redierunt. Interea ego iam intellexeram à quibuſdam Indis, quos ibidem ſuſceperam, quomdo huiuſmodi prouincia & Inſula quidẽ erat: & ſic perrexi Orientem uerſus, eius ſemper ſtringens littora uſque ad milliaria CCCXXII, ubi ipſius inſulæ ſunt extrema,

hinc

hinc aliam inſulam ad orientem proſpexi, diſtantem ab hac Iohanna miliaribus LIIII. quam protinus Hiſpanam dixi, in eamq́ conceſſi, & direxi iter quaſi per Septentrionem: quemadmodum in Iohanna ad orientem, milliaria D. LXIIII. Quæ dicta Iohāna & aliæ ibidem Inſulæ quâm fertiliſſime exiſtunt, hæc multis atq; tutiſſimis & latis, nec alijs quos unquā uiderim comparandis portibus eſt circundata: multi maximi & ſalubres hanc interfluunt fluuij: multi quoq; & eminentiſſimi in ea ſunt montes. Omnes hæ inſulæ ſunt pulcherrime & uarijs diſtinctæ figuris, peruie, & maxima arborum uarietate ſydera labentium plenæ, quas nunquam folijs priuari credo: quippe uidi eas ita uirētes atq; decoras, ceu mēſe Maio in Hiſpania ſolent eſſe, quarū aliæ florētes, aliæ fluctuoſæ, aliæ in alio ſtatu, ſecundum uniuſcuiuſq; qualitatem uigebāt, garriebat Philomena, & alij paſſeres uarij ac innumeri, menſe Nouembri quo ipſe per eas deambulabam: Sunt præterea in dicta inſula Iohanna, ſeptem uel octo palmarum genera, quæ proceritate & pulchritudine: (quemadmodum cæteræ omnes arbores, herbæ, fructusq́) noſtras facile exuperant. Sunt & admirabiles pinus, agri, & prata uaſtiſſima, uariæ aues, uaria mella, uariaq́ metalla, ferro excepto. In ea autem quâm Hiſpaniam ſupra diximus nūcupari, maximi ſunt montes ac pulchri, uaſta rura, nemora, cāpi feraciſſimi, ſeri, paciſq́ & condendis ædificijs aptiſſimi. Portuum in hac inſula commoditas & præſtantia fluminum, copia ſalubritate admixta hominum, quæ niſi quis uiderit, credulitatem ſuperat. Huius arbores paſcua & fructus, multum ab illis Iohannæ differūt. Hæc præterea Hiſpana diuerſo aromatis genere, auro metalliſq́ abundat: cuius quidem & omnium aliarū quas ego uidi: & quarum cognitionem habeo incolæ utriuſq; ſexus, nudi ſemper incedunt, quemadmodū eduntur in lucem: præter aliquas fœminas: quæ folio frondéue aliqua, aut bombicino uelo, pudenda operiunt, quod ipſæ ſibi ad id negotij parant. Carent hi omnes (ut ſupra dixi) quocūq; genere ferri: carent & armis. utpote ſibi ignotis, nec ad ea ſunt apti: nō propter corporis deformitatem (cum ſint bene formati) ſed quia ſunt timidi ac pleni formidine, geſtant tamen pro armis arundines ſole peruſtas, in quarum radicibus, haſtile quoddam ligneum ſiccum & in mucronem attenuatum figunt, neq; his audent iugiter uti: nam ſæpe euenit cum miſerim duos uel tris homines ex meis ad aliquas uillas, ut cum earum loquerentur incolis, exijſſe agmen glomeratum ex Indis, & ubi noſtros appropinquare uidebant, fugam celeriter arripuiſſe, deſpretis à patre liberis, & econtra, & hoc non quod cuipiam eorum damnum aliquod uel iniuria illata fuerit, imò ad quoſcunq; appuli, & quibus cum uerbum facere potui, quicquid habebam ſum elargitus, pannum aliaq́ permulta, nulla mihi facta uerſura, ſed ſunt natura pauidi ac timidi. Cæterum ubi ſe cernūt tutos,

om̄ni metu repulſo, ſunt admodum ſimplices ac bonæ fidei, & in omnibus quæ habēt liberaliſſimi, roganti quod poſſidet inficiatur nemo: quin ipſi nos ad id poſcendum inuitant. Maximum erga omnes amorem præſeferunt; dant quæcꝫ magna pro paruis: minima licet re, nihilóue contenti: ego attamen prohibui, ne tam minima & nullius pretij hiſce darentur, ut ſunt lancis, parapſidum, uitricꝫ fragmenta: Item claui, ligulæ, quanquā ſi hoc poterant adipiſci: uidebantur eis pulcherrima mundi poſſidere localia. Accidit enim, quendam nauitam tantum auri pondus habuiſſe pro una ligula, quanti ſunt tres aurei ſolidi, & ſic alios pro alijs minoris pretij. præſertim pro blanquis nouis, & quibuſdam nummis aureis, pro quibus habendis dabant quicquid petebat uenditor, puta unciam cum dimidia & duas auri: uel triginta & quadraginta bombicis pondo, quam ipſi iam nouerāt. Item arcuum, amphoræ, hidriæ, dolijcꝫ fragmenta, bombici & auro tanquā beſtiæ comparabāt, quod quia iniquum ſanè erat: uetui, dedicꝫ eis multa pulchra & grata, quæ mecum tuleram nullo interueniente præmio, ut eos mihi facilius conciliarem, fierentcꝫ chriſticolæ, & ut ſint proni in amorem erga Regem reginam principeſcꝫ noſtros & uniuerſas gentes Hiſpaniæ, ac ſtudeant perquirere & coaceruare, eacꝫ nobis tradere quibus ipſi affluunt & nos magnopere indigemus. Nullam hi norunt idolatriam: imò firmiſſime credunt omnem uim, omnem potentiā, omnia denicꝫ bona eſſe in cœlo, mecꝫ inde cum his nauibus & nautis deſcendiſſe, atcꝫ hoc animo ibi fui ſuſceptus poſtquam metum repulerant. Nec ſunt ſegnes aut rudes, quin ſummi ac perſpicacis ingenij, & homines qui transfretant mare illud, non ſine admiratione uniuſcuiuſcꝫ rei rationem reddunt, ſed nunquam uiderunt gentes ueſtitas neque naues huiuſmodi: Ego ſtatim atque ad mare illud perueni: prima inſula, quoſdam Indos uiolenter arripui, qui ediſcerent à nobis, & nos pariter docerent ea, quorum ipſi in hiſce partibus cognitionem habebant, & ex uoto ſucceſſit: nam breui nos ipſos, & hi nos, tum geſtu ac ſignis, tum uerbis intellexerunt, magnocꝫ nobis fuere emolumēto: ueniunt modo mecum tamē, qui ſemper putant me deſſiluiſſe è cœlo quamuis diu nobiſcum uerſati fuerint, hodiecꝫ uerſentur, & hi erant primi, qui id quodcūcꝫ appellabamus nuntiabant, alij deinceps alijs elata uoce dicētes. Venite uenite & uidebitis gentes æthereas. Quamobrem tam fœminæ quam uiri, tam impuberes quàm adulti, tam iuuenes quàm ſenes, depoſita formidine, paulo ante concepta, nos certatim uiſebant magna iter ſtipante caterua, alijs cibum, alijs potum afferentibus, maximo cum amore ac beniuolentia incredibili. Habet unaquæcꝫ inſula, multas ſcaphas ſolidi ligni, & ſi anguſtas, longitudine tamen ac forma noſtris biremibus ſimiles, curſu autem ueloci ores. Reguntur remis tantummodo. Harum quidem ſunt ma-

gnæ,quædam paruæ,quædam in medio conſiſtunt. Plures tamē biremi, quæ remigent duodeuiginti tranſtris maiores,cum quibus in omnes illas inſulas quæ innumere ſunt traijcitur, cunq; his ſuam mercaturam exercent,& inter eos commertia fiunt.Aliquas ego harum biremium ſeu ſcapharum uidi,quæ uehebant ſeptuaginta & octoginta remiges. In omnibus his inſulis nulla eſt diuerſitas inter gentis effigies,nulla in moribus atque loquela,quin omnes ſe intelligunt adinuicem,quæ res perutilis eſt ad id,quod sereniſſimum Regem noſtrum exoptare præcipuæ reor, ſcilicet eorum ad ſanctam Chriſti fidem conuerſionem,cui quidem quantum intelligere potui facilimi ſunt & proni. Dixi quemadmodum ſum progreſſus antea inſulam Iohānam,per rectum tramitem occaſus in orientem miliaria CCCXXII. ſecundum quàm uiam & interuallum itineris, poſſum dicere hanc Iohannam eſſe maiorem Anglia & Scotia ſimul, nanq; ultra dicta CCCXXII. miliaria, in ea parte quæ ad occidentem proſpectat:duæ(quas non petij)ſuperſunt prouinciæ,quarum alteram Indi Anan uocant, cuius accolæ caudati naſcuntur. Tenduntur in longitudinē ad miliaria CLXXX. ut ab his quos ueho mecum Indis percepi,qui omnes has callēt inſulas. Hiſpanæ uero ambitus maior eſt tota Hiſpania à Cologna uſq; ad Fontē Rabidum.Hincq; facile arguitur, quod quartū eius latus,quod ipſe per rectam lineam occidentis in orientem traieci, miliaria continet D XL.Hæc inſula eſt affectanda,& affectata, non ſpernenda,in qua(& ſi aliarum omnium ut dixi pro inuictiſſimo Rege noſtro ſolenniter poſſeſſionē accepi, earumq; imperium,dicto Regi penitus committitur)in oportuniori tamen loco,atq; omni lucro & commertio condecenti,cuiuſdam magnæ uillæ,cui Natiuitatis domini nomen dedimus, poſſeſſionē peculiariter accepi:ibiq; arcem quandā erigere ex tēplo iuſſi, quæ modo iam debet eſſe peracta, in qua homines qui neceſſarij ſunt uiſi, cū omni armorū genere,& ultra annū uictu oportuno reliqui, item quandam carauellam,& pro alijs cōſtruendis, tam in hac arte quàm in cæteris peritos,ac eiuſdem inſulæ Regis erga nos beniuolentiam & familiaritatem incredibilem. Sūt enim gentes illæ amabiles admodum & benignæ, eo quod Rex prædictus me fratrē ſuum dici gloriabatur. Et ſi animum reuocarent,& his qui in arce manſerūt nocere uelint,quod nequeūt, quia armis carent,nudi incedunt,& nimium timidi:ideo dictam arcem tenentes duntaxat,poſſunt totam eam inſulam nullo ſibi imminente diſcrimine(dummodo leges quas dedimus ac regimen non excedant) facile detinere. In omnibus his inſulis ut intellexi,quiſq; uni tantum coniugi acquieſcit,præter principes aut reges qbus uiginti habere licet. Fœminæ magis quàm uiri laborare uidentur,nec bene potui intelligere an habeant bona propria,uidi enim quod unus habebat,alijs impartiri:præſertim dapes,

obſonia,& huiuſmodi. Nullum apud eos monſtrum reperi, ut pleriqꝫ exiſtimabant, ſed homines magnæ reuerentiæ atqꝫ benignos. Nec ſunt nigri uelut Aethiopes: habent crines planos ac demiſſos, non degunt ubi radiorum ſolaris emicat calor: permagna nanqꝫ hic eſt ſolis uehementia: propterea q̃d ab æquinoctiali linea diſtat (ut uidet̃) gradus ſex & uiginti. Ex montium cacuminibus maximum quoqꝫ uiget frigus, ſed id quidem mo derantur Indi, tum loci conſuetudine, tum rerum calidiſſimarum quibus frequenter & luxurioſe uefcuntur præſidio. Itaqꝫ monſtra aliqua non uidi, neqꝫ eorũ alicubi habui cognitioné, excepta quadam inſula Charis nun cupata, quæ ſecunda ex Hiſpana in Indiam transfretãtibus exiſtit, quam gens quædam, à finitimis habita ferocior, incolit: hi carne humana ueſcuntur. Habẽt prædicti biremium genera plurima, quibus in omnes Indicas inſulas traijciunt, deprædant, ſurripiuntqꝫ quæcunqꝫ poſſunt. Nihil ab aliis differunt, niſi quod gerunt more fœmineo longos crines, utuntur arcubus & ſpiculis arundineis, fixis (ut diximus) in groſſiori parte attenua tis haſtilibus: ideoqꝫ habentur feroces, quare cæteri Indi inexhauſto metu plectuntur, ſed hos ego nihil facio plus quam alios. Hi ſunt qui coëunt cum quibuſdam fœminis, quæ ſolæ inſulam Mathenin primam ex Hiſpana in Indiam traijcientibus inhabitant. Hæ autẽ fœminæ nullum ſui ſexus opus exercent: utuntur enim arcubus & ſpiculis ſicuti de earum coniugibus dixi, muniunt ſeſe laminis æneis, quarum maxima apud eas copia exiſtit. Aliam mihi inſulam affirmant, ſupradicta Hiſpana maiorem, eius incolæ carent pilis, auroqꝫ inter alias potiſſimum exuberat. Huius inſulæ & aliarum (quas uidi) homines mecum porto, qui horum quæ dixi teſti monium perhibent. Deniqꝫ ut noſtri diſceſſus & celeris reuerſionis compendium, ac emolumentũ breuibus aſtringam, hoc polliceor, me noſtris Regibus inuictiſſimis paruo eorum fultum auxilio, tantum auri daturum, quantum eis fuerit opus: tantum uero aromatum, bombicis, maſti cis (quæ apud Chium duntaxat inuenitur) tantumqꝫ ligni aloës, tantum ſeruorum hydrophilatorum, quantum eorum maieſtas uoluerit exigere. Item reubarbarum & aliarum aromatum genera, quæ hij quos in dicta arce reliqui, iam inueniſſe, atqꝫ inuenturos exiſtimo: quandoquidem ego nullibi magis ſum moratus (niſi quantum me coëgerunt uenti) præterquã in uilla Natiuitatis, dum arcem cõdere & tuta omnia eſſe prouidi. Quæ & ſi maxima & inaudita ſunt: multo tamen maiora forent, ſi na ues mihi (ut ratio exigit) ſubueniſſent. Verum multum ac mirabile, hoc ne noſtris meritis correſpondens, ſed ſanctæ Chriſtianæ fidei, noſtrorũqꝫ Regum pietati ac religioni, quia quod humanus conſequi nõ poterat intellectus, id humanis cõceſſit diuinus. Solet enim deus ſeruos ſuos, quiqꝫ ſua præcepta diligunt, etiam in impoſſibilibus exaudire, ut nobis in præ-

ſentia

ſentia contigit, qui ea conſecuti ſumus, quæ hactenus mortaliũ uires minime attigerant: nam ſi harum inſularum quippiam aliqui ſcripſerunt aut locuti ſunt, omnes per ambages & coniecturas, nemo ſe eas uidiſſe aſſerit: unde propè uidebatur fabula Igitur Rex & Regina, principes, ac eorum regna feliciſſima, cunctæq́; aliæ Chriſtianorum prouinciæ, Saluatori domino noſtro Ieſu Chriſto agamus gratias, qui tanta nos uictoria muneræq́; donauit: celebrentur proceſſiones, peragantur ſolennia ſacra, feſtaq; fronde uelentur delubra. Exultet Chriſtus in terris, quemadmodum in cœlis exultat, cum tot populorum perditas ante hac animas ſaluatum iri præuidet. Lætemur & nos, tum propter exaltationem noſtræ fidei, tum propter rerum temporalium incrementa, quorum non ſolum Hiſpania, ſed uniuerſa Chriſtianitas eſt futura particeps. Hæc geſta ſunt ſic breuiter enarrata. Vale. Vliſbonæ, pridie Idus Martij.

DE LEGATIONE IMPERATORIS POTENTISSIMI AETHIOPIAE AD CLEMENTEM PONTIFICEM VII.

IN medio totius Aphricæ, quæ tertia pars orbis terra-
rum eſſe cenſet, ſiti ſunt Abyſſini Aethiopes, quibus lon
ge lateq; dominatur magnus imperator Dauid, uulgo
Pretoiannes appellatus. Eius imperio ſedecim opulenti
reges parent, & ab eo ita leges accipiunt, ut beneficiario
alienoq; iure potius quam ſuo, regna obtineant. Ipſe à
uetuſta progenie, ſucceſſioneq; perpetua, regij ſanguinis imperium acce-
pit; uiget corporis uiribus, ætate floret, & ſupra totius mundi reges, uiri-
bus atq; opibus abũdat, & quod ſingularis & cumulatæ felicitatis eſſe ui-
detur, nunquam bello à quoquam uictus, frequentiſſime prælijs uictor,
præalta & glorioſa pace perfruitur, à meridie Troglodytas habet gen-
tem nudam, nigerrimam, omnium propè rerum quæ ad ciuilem & ele-
gantem uitam pertinent, rudem penitus, & egenã, utpote quæ in æſtuo-
ſa & retorrida regione nihil ferè à ſolo cœlóue benignitatis conſequantur.
Hæc gens tamen aurum fodit. & ebur præbet. & per ſiticuloſas harena-
rum ſolitudines legendis gemmis ſolertiſſime diuagatur, nec alios nouit
deos, quâm Solem & Lunam, ſed hanc maxime in honore ac admiratio-
ne habet, quod noctibus diſceſſu à Solis feruore immodico refrigeratis
lucem largiatur, & contra Solis iniurias unà benigne & oportune iuue-
cto repore ſplendoreq; ſubueniat. Ab occaſu Manicongorum rex fines
habet, cuius regni magna eſt amplitudo ſoliq; maior fœcunditas, nam
fluuius ingens, quem Gabram uocant, amplitudine incremẽtis, copiaq;
crocodilorum & piſcium Nilo perſimilis, mediam ſecans, & ſæpe inun-
dans regionem, effectis, aliquot inſulis in Athlanticum oceanum defertur.
Hic rex proxime à Luſitanis (quorum in fidem & poteſtatem ultro ſe
dederat) Chriſtiana ſacra ſuſcepit: ab auſtro capillati Aethiopes occur-
runt, qui ad promontorium Bonæſpei, cuneatis ibi & prominentibus ter
ris extenduntur, ea gens uti propè capricorni circulum ſita, colorem oleæ
maturæ defert, corporis habitus illis paulò caſtigatior & exilior, ita ut
curſu uel incitatos equos effugiant: ab his cum ſint aſtuta ac inſidioſa, fe-
ritate terribiles. Franciſcus Almedius, dum magnis rebus geſtis India de-
cedens, cum uictrice claſſe ad triumphum in Luſitaniã rediret, & ad Sal-
danium fontem aquaretur interfectus eſt. Ab ortu uero ſolis Barnegaſio
rum rex Dauidi ſubiectus arabici maris littus attingit in ſinu Adulico, qui
ſtatim rubri maris anguſtias intrantibus ad læuam occurrit. Ibi De-
laca eſt inſula quæ ſtationem habet, & in proxima continente portus

eſt

eſt nomine Araquincus, ita ut facile iam poſſit ad interiores Abyſſinos perueniri, & tuto quidem itinere, cum pacata amicaq́ ſint omnia. Barnegaſſorum rex atq; eius populus, non atra, ſed flauenti & cuprea quadã nigredine tinguntur, habitus illis corporũ, armorum, ueſtium, & ingenij, ab Arabibus ac Aegyptijs uix differt, nam nauigatione frequẽtiſſima, & terreſtribus cõmercijs inde ea quæ diximus facile acceperunt. At uniuerſæ ditionis imperium Dauidis magnas ſingulis prope in rebus recipit diuerſitates, cum à Cancri tropico ad auerſum Capricorni totum immenſa uaſtitate diſtendatur, unde neceſſe ſit ad ſolis conuerſiones cuncta uariante natura, cœlum alibi mite eſſe, alibi infeſtum, alternatis ſcilicet pruinis atque feruoribus uti magis, aut minus regio quæq; ab æquatoris benignitate receſſerit. Nam ibi duabus æſtatibus, duabusq́ opimis meſſibus felices; populi ſingulo quoq; anno lætantur, ita inexhauſta terræ pinguedine, & alteræ etiam binæ uti leguminum minores meſſes iterata ſemente proueniant. Cæterum Franciſcus Aluarez legatus de Abyſſinis Aethiopibus magnum uolumen attulit, in quinq; digeſtum libros.

In primo, uniuerſa regio exactiſſime deſcribitur, deſignatis finibus, & annotata dierũ quantitate, ad dimenſiones aſpectusq́ cœleſtes, ſecundũ coſmographiæ rationem, ubi de fontibus Nili, & de eius incrementi cauſis mira, & longe pulcherrima referuntur.

In ſecundo de ubertate ſoli frugumq; generibus, uarietateq́ rerũ terra naſcentium diffuſe agitur.

In tertio de animalibus atq; auibus, de magnitudine ferarum, & præſertim de elephantis, quorum numeroſiſſimi greges in patentibus campis, atq; nemoribus uiſuntur.

In quarto diſſeritur de natura & moribus Abyſſinorũ de literis & ſtudijs eorum. Itemq́ de aula & cultu ingenioq́ ipſius imperatoris, de exercitu, de diſciplina, de legibus, inſtutiſq́ ciuilibus.

In quinto ea referuntur, quæ ad religionem pertinent, ſcilicet circa ſolennia ſacra, templorum cultum, honores funerum, celebritatem nuptiarum, & monachorum uitam, qui infiniti prope numero ſeptis cœnobiorum includuntur.

Hi autem libri propediem in latinã linguam uertentur. Nam illuſtris dominus Martinus à Portugallia ipſius Luſitaniæ regis Legatus traducendi eius libri prouinciam Paulo Iouio hiſtoriarum ſcriptori demandauit, qui & has quoq; Dauidis literas fideliſſime latinas fecit.

DE REGNO

DE REGNO AETHIOPIAE, AC POPVLO, DEQVE MORIBVS EIVSDEM POPVLI.

VISVM eſt præterea, quæ de hoc rege Aethiopico noſtris temporibus cōperta ſunt paucis ſummatim attingere. Eum non Pretoiannem (ut uulgus falſo opinatur) ſed Gyam ab eis nominari, quod eorū lingua ſonat potentem. Enimuero potentiſſimum eſſe, Regemq; Regum dici, ac LXII. Regnis imperitare. Ea regna latiſſimos fines, ſpacioſiſſimas terras, uaſtiſſima maria habere. Siquidem ad orientē mari Rubro & Barbarico, ad meridiem & occidētem Agiſimbo allui, qua parte ipſa regio uelut Promontorium, cuius caput Bonæ ſpei appellatur, in meridiem excurrit. Ad finem ferê eius, Nilum naſci, longiſſimoq; tractu multis confectis inſulis, quarū maxima ſit Meroë, in Aegyptum & Libyam ad Septentrionem, interiorem Lybiam ad Occidentē ei terminos eſſe. Regem in maxima ueneratione haberi, atq; hominibus ita abundare, ut uel mediocri rerum tumultu decies centum millia hominum, & præterea quingentos elephantos, camelorumq; & equorum ingentem numerū ad bellum inſtruat. Arcubus in bello quadricubitalibus, tum conto, lorica, & galea utuntur. Abundant auro, metalliſq; cæteris: margaritis, & ſerico ornantur, lino bombicinoq; ueſtiuntur, lanificio enī penitus carent, quanquam omnifariam pecoribus affluant: Agriculturā exercent, & rem pecuariam, bina meſſis, binaq; illis æſtas, milij, hordeiq; frequens uſus. Quidam ſeſamum, alij lothum ſerunt, ſal foſſile habent, ſicut Arabes, hebeno perſico abundāt & ſiliquaſtro. Aromata piperis, cinnamomi, & gingiberis legunt, uenantur leones, pardales, rhinocerotes, & elephantos. Ipſi ſe antiquiſſimos hominum eſſe gloriantur, argumēto quod indigene, ſemperq; liberi fuerint, nec eos Semiramis, Hercules, Dionyſius, aut ipſi etiam Romani expugnare unquam potuerint, Cambyſes quoq; rex potentiſſimus, ab eis uictus, maximoq; exercitu exutus ſit: quin & Aegyptios Aethiopum colonos affirmant, literarumq; & ſtatuarum uſum, cultum regum, curamq; ſepulchrorum & politica omnia ab Aethiopibus accepiſſe. At illa uerior ac iuſtior huius gentis gloria quod Chriſtianam pietatem, iam inde ab eius initijs, per Eunuchum Reginæ Candacis à Philippo Apoſtolo baptizatum ſuſceperit, ſuſceptamq; tot iam ſeculis conſtantiſſime conſeruarit, & quanquam interea, ſicut & hodie, undiq; à Mauris & Saracenis Maomethis cultoribus, itemq; idolatris uelut indagine cincta, uexata, oppugnataq; fuerit, non tamen ea ſæ-

uà Maomethis tempeſtas, quæ Romanum imperium cum Chriſtiana religione ex maxima parte alibi diſiecit, Aethiopiã, aut ditione, aut religione ſua ſpoliare unquam potuerit. Nec id quidem mirum, cum hi Aethiopici Reges, ab ijſdem Dauide ac Salomone, à quibus ſanctiſſima Deipara uirgo, ipſeq́ Chriſtus ſeruator noſter, genus ac ſtemma ſuum numerent, cui ſit honor & nunc & ſemper, Amen.

AD LECTOREM.

ANNO ſalutis, M. D. XXXIII. Menſe Ianuario, ſummis Chriſtianorum principibus, Sanctiſſimo D. N. Clemente Pontifice VII. & Carolo V. Romanorum Imperatore, ſemper Auguſto, Bononiæ congregatis: Reuerendiſſimus & Illuſtriſſimus Don. Martinus de Portugallia, nepos, conſiliarius, & Orator ſereniſſimi Ioannis Regis Portugalliæ, ad eundem ſanctiſſimum D. N. iterum miſſus, duxit unà ſecum, D. Franciſcum Aluarez Oratorem ſereniſſimi Dauid Aethiopiæ Regis, uulgò Pretogyam nominati, miſſum ab ipſo Aethiopiæ Rege ad eundem ſanctiſſimum D. N. ſalutandum ac uenerandum, eiq́ obedientiam de more cæterorum Chriſtianorum Regum præſtandum. Quemadmodum ex literis utriuſq; Regis eidem ſanctiſſimo D. N. redditis, & infra deſcriptis plenius apparebit. His datus eſt Senatus & conſiſtorium publicum XXIX. Ianuarij, in quo poſt receptum Reuerendiſſimum Cardinalem Tridentinum, qui eodem tempore Bononiam à ſereniſſimo Ferdinando rege Romanorum miſſus uenerat, tum deinde ipſi duo Oratores Portugalliæ & Aethiopiæ magno comitatu in conſiſtorium uenerunt, amboq́ uenerabundi ac genu flexo. Primo Orator Portugalliæ literas ſui regis unà cum exemplis literas dicti Regis Aethiopiæ ad ſe, & claræ memoriæ Emanuelem patrem ſuum ſcriptarum: deinde Aethiopicus Orator binas ſui Regis literas eidem ſanctiſſimo D. N. reddidit, munuſculumq́ aureæ Crucis libræ ferme ponderis, nomine ſui Regis obtulit: primo pedem, deinde manum ſanctitatis ſuæ oſculatus, demumq́ ad oris oſculum de more receptus. Literæ huius Aethiopica cõ ſcriptæ lingua, in Luſitanam primo, indeq́ in Latinam translatæ fuerant. Quæ literæ omnes per ſecretarium domeſticum eiuſdem ſanctiſſimi D. N. eo quo infra ſcribentur ordine lectæ, & pronuntiatæ coram omnibus fuerunt.

Q LITERAE

IOANNIS PORTVGALLIAE REGIS SERENISSIMI LITERAE AD SANCTISSIMVM DOMINVM NOSTRVM CLEMENtem Pontificem VII.

Sanctiſſimo in Chriſto Patri, atq; beatiſſimo domino, D. Clemēte Pontifice VII. Diuina prouidentia uniuerſæ eccleſiæ dei præſidenti, S.

SANCTISSIMO in Chriſto Patri, atque beatiſſimo domino, eiuſdem ſanctitatis deuotiſſimus, filius Ioannes dei gratia Rex Portugalliæ, & Algarbiorum citra ultraq; mare in Africa: Dominus Guineæ, expugnationis, nauigationis, cōmercij Aethiopiæ, Arabiæ, Perſidis, atq; Indiæ, poſt humillima ſanctorum pedum oſcula. Sanctiſſime in Chriſto Pater, & feliciſſime domine, Rex dominus, & pater meus, cum animaduerteret, quâm gratū deo eſſet futurum, ſi Aethiopiæ, atq; Indiæ remotiſſimæ regiones, quæ fama tantum, atq; ea quidē ambigua auditæ fuerant, ſolerti nauigatione Chriſtianorū claſſibus adirentur: ſtatim ab ipſo ſuſcepti regni initio complures duces & ſubditos ſuos ad perſcrutanda cognoſcendaq; earum terrarum littora, inſtructis ualidiſſimis claſſibus miſit: ſcilicet ut Mauri & gentiles, earum regionū populi, ueritatē Chriſtianæ religionis agnoſcerent, atq; obiter patefacto itinere, alij etiam populi reperirentur, qui deum Chriſtum colerēt, ſicut opinione hominū eos inueniri poſſe ferebatur. Itaq; uolente deo tota Guineæ regio feliciter peragrata eſt, in qua Rex de Manicongo cum ingentibus populis ipſi ſubditis, qui ſe ad eius autoritatem ac obedientiam contulerat, ſacro baptiſmatæ ſuſcepto, Chriſtianus effectus eſt, & complures aliæ gentes ex regionibus Indiæ, Perſidis & Arabiæ, ad Chriſtianam fidem noſtrorum pietate & diligentia ſunt perductæ, & quotidie aliæ atq; aliæ nationes, quæ tardius ueritatem agnouerūt, exemplo aliarum ad Chriſtū cōuertuntur: & quanquam in his expeditionibus grauiſſima amiſſarum nauium & ducum, itemq; nobilium equitum, & ſubditorum ſuorum detrimenta recepiſſet. Tamen ab hoc eximiæ pietatis conſilio nō deſtitit, uti pium & Chriſtianum regem decebat. Itaq; eodem curſu mare Rubrum penetrante claſſe noſtra, repertum eſt, nunquam antea Chriſtianorum claſſibus nauigatum: nam ferè totum in poteſtate Turcarum erat. Et demum poſt diuturna atq; aſpera bella inuentū eſt iter, quod ad (uulgò Pretegyam nuncupatum) Aethiopiæ regem potentiſſimum ducit, qui cum uniuerſis regnorum ſuorum populis Chriſtum colit. Ad hunc extemplo

Rex

Rex pater meus legatum deſtinat, ut ad obedientiam ſanctæ ſedis apo-ſtolicæ pertraheretur, oportunaq́ narrando, & aperiēdo certior redderetur, tuam ſanctitatem in ſede Petri reſidere, & unicum eſſe in terris Chriſti uicarij, cui omnes Chriſtiani reges obedientiam cum ſumma ueneratione præſtare conſueuiſſent. Nec multo poſt, idem Aethiopiæ rex cum legatum remitteret, ſuum etiā propriū & indigenam, qui ad eum cum mandatis ueniret, adiunxit. Sed interim deus ad ſe patris mei animam ad ſanctæ gloriæ participationem in cœlum recepit. Nec mora quū nos in eius ſucceſſiſſemus locum, operam dedimus cum ducibus noſtris, qui erant in India, ut idem rex Aethiopiæ de Regis patris mei morte certius redderetur: Cum ea, quæ pater meus præclare pro fide Chriſtiana inceperat, omnino perſequenda & perficienda curaremus. Quod ipſe rex Aethiopiæ magnifaciens, ſuum Oratorem ad nos miſit (qui in aula noſtra adhuc commoratur) & ſimul Franciſcum Aluarez Cappellanum noſtrum, qui eſt unus ex his, quos pater meus ad eum miſerat. Hunc Franciſcum Aluarez idem Aethiopiæ rex Romam mittit ut ſuo, & ſingulorum regnorum ſuorum nomine, tuæ ſanctitati obedientiam præſtet: quem hactenus remorari fecimus quod multis de cauſis, eum proficiſci uolebamus, unà cū Martino à Portugallia nepote chariſſimo, & cōſiliario, ac Oratore noſtro ad T. S. Cui cōmiſimus, ut eundem Franciſcum Aluarez dicti regis Aethiopiæ Oratorem ſanctitati tuæ ad præſtandam obedientiam præſentaret. Item ut cuncta ea quæ orator eiuſdem regis Aethiopiæ ad nos miſſus deferebat aperiret, exemplaq́ literarum eiuſdem regis ad nos T. S. oſtenderet. Propterea nobis rem gratiſſimam S. T. faciet, ſi eidem Martino Oratori noſtro pleniſſimam fidem in his rebus habuerit, & certe deo optimo maximo, ſummæ gratiæ ſunt meritò referendæ, quod Pontificatus tuæ ſanctitatis tempore, hanc inſignem à deo gratiā S. T. retulerit, ut alteram Chriſtiani populi portionem, hac noſtra nihil amplitudine terrarum minorem cōſentire cum fide catholica, & ſancta Romana Eccleſia & obedientiam præſtare uideamus. Nos uel ob id ingentes deo gratias agimus, quod in hac tanta acceſſione huius regis noſtra opera uti uoluerit. Nihil enim ad laudē ueræ pietatis poterit eſſe præclarius, quam Aethiopiam in unitate Chriſtianæ ꝓfeſſionis noſtræ Europæ cōiunctiſſimam conſpexiſſe. Deus & dominus noſter ad multos annos tuam ſanctitatem feliciſſime conſeruare & augere ad uotum dignetur. Datum in Sertuual uigeſima octaua Maij.

M. D. XXXII.

DAVID AETHIOPIAE REGIS SERENISSIMI LITERAE, AD SERENISSIMVM REGEM EMANVELEM Portugalliæ ſcriptæ, ex Aethiopico idiomate, in Luſitanam, indeq́ in Latinam linguam traductæ.

IN nomine dei patris, uti ſemper fuit, cui non inuenitur principium: In nomine dei filij unici, qui eſt ſimilis ei antequam ſit uiſum lumen ſtellarum, antequam poneret fundamenta maris oceani: alio autem tempore cōceptus fuit in utero uirginis ſine ſemine uirili, & ſine nuptijs, in hunc enim modum ſcientia erat officij eius: In nomine Paracleti ſpiritus ſanctitatis, qui ſcit cuncta ſecreta quæ ſunt, ubi antea fuit, omnium ſcilicet altitudinum cœli, quod ſine columnis, & abſque ullis fulcimentis ſuſtinetur, qui amplificauit terram, quæ antea nō erat creata nec cognita, ad omnes partes ab ortu ad occaſum, & à ſeptentrione ad auſtrum. Nec iſte eſt primus, uel ſecundus, ſed eſt trinitas coniuncta in uno æterno creatore rerum omnium, ab uno tantum conſilio, & uno uerbo, per ſæcula ſæculorum, Amen. Has litteras mittit Atani Tinghil, id eſt Thus Virginis, q̊d nomen eſt à baptiſmate: nunc uerò in ipſo ſuſcepti regni initio aſſumpſit nomen Dauid, dilectus à deo, columna fidei, cognatus ſtirpis Iuda, filius Dauid, filius Salomonis, filius columnæ Sion, filius ſeminis Iacob, filius de manu Mariæ, filius Nau per carnem: Imperator magnæ & altæ Aethiopiæ & magnorū Regnorum & ditionum & terrarum, Rex de Xoa, de Caffate, de Fatigar, de Angote, de Baru, de Bellenguangue, de Adear, de Vangue, de Gozame, ubi Nilus oritur, de Amara, de Baguemedi, de Ambea, de Vagne, de Tigri Machon, de Sabaym, unde fuit Regina Saba, de Bernegaes, & dominus uſque ad Aegytum. Hæ literæ diriguntur Regi potentiſſimo, & excellentiſſimo, ſemper uictori domino Emanueli, qui habitat in amore dei & firmus permanet in fide catholica, filio Apoſtolorum Petri & Pauli, Regi Portugalliæ & Algarbiorum, amico Chriſtianorum, hoſti Iudici imperatori, Domitori Maurorum & gentium Aphricæ, & Guineæ à Promontorio atque inſula Lunæ, Maris rubri, Arabiæ & Perſidis, & Armutiæ, magnæ Indiæ, & omnium locorum earum & omnium inſularum, terrarum adiacentium, profligatori Maurorum, & fortium Paganorum, domino arcium, & aliorum caſtellorum, & murorum, propagatori fidei Ieſu Chriſti. Pax tibi domine Rex Emanuel, qui dei fretus auxilio Mauros occidis, & tua claſſe, tuo exercitu, & tuis du

cibus

cibus, undique tanquam infideles canes expellis. Pax ſit cum Regina
uxore tua amica Ieſu Chriſti, ſerua Mariæ uirginis matris ipſius ſaluato
ris totius mundi. Pax ſit filijs tuis, nunc uti in uirenti horto, & florentibus
lilijs, menſa eſculentis parata. Pax filiabus ueſtris, quæ ſunt indumentis
ornatæ, ſicut palatia auleis exornantur. Pax affinibus tuis, ex ſanctorum
ſemine procreatis, ſicut dicit ſacra ſcriptura: filij ſanctorum ſunt benedi-
cti, & magni foris & intra domum. Pax ſit conſiliarijs & officialibus tuis
poteſtatibus, & ius dicentibus. Pax ducibus tuis caſtrorum & confiniũ,
& rerum omnium munitarum. Pax omnibus gentibus, populis, & urbi-
bus, & cunctis inhabitantibus, præter Mauros & Iudæos. Pax omnibus
parochijs, & omnibus Chriſto, & tibi fidelibus, Amen. Cognoui domi-
ne Rex, & mi pater, quod cum ad te nominis mei fama, per Mathæum
Oratorem noſtrum fuiſſet delata, ſtatim archiepiſcoporum, & epiſcopo
rum ac prælatorum magnum numerum aduocari iuſſiſti, qui de ea lega
tione deo Chriſto gratias agerent, ipſumq; Mathæum ſummo cum ho-
nore & hilaritate fuiſſe ſuſceptum: qua de re mirifice ſum lætatus, & gra-
tias pariter deo egi, & hoc deuote fecit etiam populus meus, Dolui autẽ
cum ab his intellexi, ipſum Mathæum in reditu ſuo, dum intaret fines
meos in Monaſterio de Biſam fuiſſe mortuum: eum autem ego non mi-
ſeram, quoniam adhuc puer eram undecim annorum, uix dum ſuſcepto
regni ſceptro poſt mortem patris, ſed Helena Regina, quam loco matris
colebam & regnũ pro me gubernabat. Is Mathæus mercator erat, Ha-
braham uocatus, ſed ſibi nouũ nomen idcirco poſuerat, ut ſecurius per fi-
nes Maurorũ iter faceret: Verũ is Dabul, à Mauris pro Chriſtiano agni-
tus in carcerem fuit cõiectus: Quod cum ſignificaſſet ueſtrorũ exercituũ
Præfecto, is miſit fortes uiros, qui Chriſtianũ hominẽ è teterrimo carce-
re liberarent, maxime cum didiciſſet eũ eſſe legatũ meum. Itaq; illum ere-
ptum è manibus inimicorũ, curauit ut ueſtris nauibus ad conſpectum ue
ſtrum transueheret. Is Mathæus meo nomine tibi Regi mãdata expo-
ſuit, reſcripſitq; ſe honorifice ſuſceptum fuiſſe, & cumulate omnis generis
muneribus honeſtatũ, quod & nuntij pariter ueſtri affirmabãt, quos ma-
gnus ueſtræ claſſis præfectus Didacus Lopez de Tichera ad nos miſit, li-
teras præſentarunt, quas afferre debuerat Duartes Galuanus, qui in in-
ſula Cameronis diem obierat, quibus conſpectis literis, magnopere ſum
gauiſus, & deo egi gratias, & tum magnam cœpi uoluptatem, cum pe-
ctora ueſtrorum nuntiorum crucibus inſignita conſpicerem, & experirer
percunctando eos ritus tenere fidei Chriſtianæ, qui eſſent uèriſſimi, &
illud me ſingulari deuotione iniecta uehementer permouit, quod intel-
ligerent iter in Aethiopiã inuentũ eſſe nõ ſine miraculo: Nam referebãt

præfectum claſſis, cum diu per mare Arabicum erraſſet, & propterea de inueniendo noſtro portu deſperaſſet, re infecta redire in Indiam uo/luiſſe, maxime propter ſæuas maris tempeſtates, ſed in aurora oportu/ne rubram crucem in cœlo apparuiſſe, qua ſalutata, à nautis proras in ea parte eſſe conuerſas, monſtrareq́; deo repertum eſſe portum noſtrum, quæ res mihi pro miraculo, uiſa eſt: Et certe is claſſis præfectus deo debet eſſe admodum dilectus, poſtquam tantam ei felicitatem conceſſam ui/demus, quantam nemo ante eum à deo impetrare potuerit. De hac au/tem mutua legatione antiquitus prædictum fuit à propheta in libro de ui ta & paſſione ſancti Victoris, & in libris ſanctorum patrum, quod Rex magnus Chriſtianus cum rege Aethiopiæ eſſet cum mutua pace conuen turus, ſed hoc nequaquam futurum diebus uitæ meæ exiſtimabam, ue/rum deus certum ſciebat, ut laudetur nomē eius, qui nuntium ad me de/tulit, ut ego pariter id mittere poſſem ad te partem meum in Chriſto & amicum, ut ſimus in una fide, poſtquam à nullo alio Rege Chriſtiano nuntium, aut certam notitiam habuerim. Hactenus circum me Mauri erant, filij Maomethis, & gentiles, & reliqui ſunt ſerui, qui deum nō agno ſcunt, & alij qui ligna & ignem uenerantur, & alij qui ſolem adorant, & alij qui ſerpentes deos eſſe putant, cum his nunquam pacem habui: quo/niam ad ueritatem uenire recuſant, & fruſtra his prædicabam fidem, nunc uero conquieſco, & deus quietem dono mihi dedit cum hoſtibus meis & tuis. Nam in finibus meis cum armatus contra eos progredior, ipſi faci/em & terga uertunt, & duces & milites mei per campos de his uictorias conſequuntur, neque mihi deus iraſcitur, ut dicit pſalmiſta: & deus uo/ta eorum regum implet, qui iuſta petunt, nec hoc ad laudem noſtrā per/tinet: Nam deo agendæ ſunt gratiæ, is eſt qui mundum uobis dedit & ter ram gentilium perpetuo cōceſſit, ac aliorum terras, quæ ſunt à finibus ue ſtris ad initium Aethiopiæ, propterea ingentes deo gratias ago, & prædi co ſummā eius potentiā, cum ſperem eorū populorū filios, qui in tuā di/tionē uenient ꝓculdubio fidei ueritatē eſſe cognituros, quāobrem do gra tias deo, & ſpero quod filij ueſtri & ego & uos de felicibus earum rerum ſucceſſibus abunde lætabimur, & uos deo debetis continue ſupplicare do/nec gratiam uobis det potiundi templi ſancti in Hieruſalem, quæ eſt in poteſtate hoſtiū Chriſti Maurorū & Gentiliū & Hæreticorū, & ſi hoc perfeceritis, caput tuū omni laude pleniſſimū erit. Cæterū ex numero le/gatorū, qui ad me ueniebāt cum prædicto Mathæo tres periere, & Præ/fectus magnus ueſtræ claſſis deuenit apud Mazua in colloquium cum re ge de Bernagais, qui eſt imperio meo ſubiectus, & ſtatim legatos ad me miſit, & munera ingentia, quæ mihi cariſſima fuerunt. Verum nomē ue ſtrum omni gemma & theſauro mihi pretioſius uidetur, ſed hæc tranſea

mus &

mus & agamus inter nos quomodo inuadere & capere poſſimus alias in-
fideliũ terras, ego certe dabo millies centena millia dragmarũ auri, & to-
tidem millia milliarium uirorum: Itemq́ materiã & ferrum & cuprũ in
uſum ædificandæ & ornandæ claſsis, magnam etiã commeatus copiam.
Amice unà conueniemus, & quoniam non eſt conſuetudinis & dignitatis
meæ, ad petendam pacẽ legatos mittere, & tu primus à me eam ſincere
quæſiuiſti, ad uerificanda Chriſti uerba. Nam ſcriptũ eſt. beati pedes, qui
portant pacem & ego propterea ſum ad id paratus more Apoſtolorum,
qui erant unanimes, & unius cordis ô Rex, & pater mi Emanuel, unus de
us te ſoſpitem uelit & ſeruet, qui eſt deus cœli, & ſemper unius ſubſtan-
tiæ, nec iuueneſcit, nec ſeneſcit. Is qui à te nuntium attulit Rodoricus Li-
nia uocabatũ, legationis optimorũ uirorũ princeps, & cum eo Franciſcus
Aluarez, quẽ propter uitæ probitatem & ſingularẽ religionem, & iuſtitiã
ualde chariſſimũ habui, maxime quod uerißimis uerbis cum eſſet inter-
rogatus de fide, aptiſſime reſpondebat, & ita debetis eum exaltare, & ma
giſtrum appellare, & dare ei officium conuertendi populos de Mazua,
& de Delaca, & de Zeyla, & omniũ inſularum rubri maris: quoniam ſunt
in finibus regnorum meorum, & ego ei conceſſi crucem, & baculum in ſi-
gnum poteſtatis, & ita uos iubete ut hæc ei concedantur, & creetur epi-
ſcopus illarum terrarũ, & inſularũ, quoniã hoc meretur, & idoneus eſt in
hoc officio ad miniſtrando, & tibi deus plurimũ benefaciet, ut ſemper ſis
fortis contra hoſtes tuos, & eos cogatis ad pedes ueſtros ꝓcidere, & deus
tibi uitam prolõget, & participem faciat regni cœlorum in optimo loco,
ſicuti ego pro me optarem. Audiui autem auribus meis multa bona de te,
& oculis uideo quæ uidere nequaquam credebam, & deus cuncta de bo-
no in melius ſuccedere uelit, & ibi ſit ueſter locus ſupra lignum uitæ, ubi
eſt locus ſanctorum, Amen. Mitto autẽ mandata mea per fratrẽ Criſto-
pherum Licanati, qui deſideria mea coràm explicabit, & item ad Papam
Romanum mitto eundem Franciſcũ Aluarez, qui nomine meo præſtet
obedientiam, uti iuſtum eſt, & ego petam à uobis, ſicuti filius paruulus
à patre, & quæ iuſſiſtis feci, & faciam ſi uenerint legati ueſtri, ut inuicem
mutuis opibus adiuuemur: ſingulis autem ueſtris oratoribus qui uenĩẽt,
ſicut tum feciſtis ad Mazua, aut Delacam, & ad portus intra anguſtias
maris rubri, ea tribuam, tribuiq́ curabo, quæ fienda ſignificabitis, ſicuti
maxime deſidero, ut in conſilio, & rerum actione proſpere coniungamur,
nam cum ad ea littora copiæ ueſtræ peruenerint, mature & ego cum me
is exercitibus adero. Et quoniam in finibus meis, nemo eſt Chriſtianus,
neque templa Chriſtianorum uiſuntur, concedam ueſtris hominibus ha-
bitandas illas terras, quæ ſunt proxime Maurorum ditioni ꝓpterea opus
eſt, ut cœptis ueſtris debitum finem afferatis. Interim mittote ad me cæ-
latores

latores imaginum auri & argẽti, & fabros cupri & ferri, & ſtanni & plum bi: item artifices qui literis noſtræ linguæ pro eccleſia libros imprimant: item aliquos qui ex auro bracteolas facere, & cum his inaurare alia me/talla ſciant. Hi erunt in domo mea honeſtiſſime tractati, & ſi diſcedere uo luerint, laborum ſuorũ eis amplam mercedem ſoluam. Iuroq́ per deum Ieſum Chriſtum dei filium me eos libere, cum uoluerint, eſſe dimiſſurũ. Hoc autem peto fidẽtiſſime, quoniam mihi ueſtra uirtus ſpectata eſt, & bonitas maxime agnita, & ſcio me à te amari plurimũ, & hoc agnoui cer/tius quod Matthæum mei gratia honorifice & liberaliter ſuſceperitis, & remiſeritis. Et ideo adnitor ea impetrare: neq; hoc uobis pudorem affe/rat. Nam omnia perſoluã: & id quod filius petit à patre negari non debet: & tu es pater meus, & ego filius tuus, & ſimus coniuncti ſimul. Sicut later culus cum laterculo in pariete copulatur, ita duo in uno corde & amore Ieſu Chriſti conſentimus, qui eſt caput mundi, & qui cum eo ſunt aſſimi/lantur laterculis in muro coniunctis. Amen.

DAVID AETHIO-
PIAE REGIS SERENISSIMI LITERAE
AD SERENISSIMVM IOANNEM PORTVGAL
liæ &c. Regem: ex Aethiopico idiomate in Luſi tanam, indeq́ in Latinam linguam traductæ.

IN nomine dei patris omnipotentis, creatoris cœli & ter ræ, & omnium rerum factarum, uiſibilium & inuiſibiliũ. In nomine dei filij Chriſti, qui eſt filius & conſilium & pro pheta patris. In nomine dei ſpiritus ſancti paracleti dei ui/ui, æqualis patri & filio, qui locutus eſt per os prophetæ ſpirando ſupra Apoſtolos, ut gratias agerent & laudarent trinitatem per/fectam in cœlo & in terra, in mari, & in profundo ſemper, Amen. Mitto has literas & nuntiũ ego Thus uirginis, quod eſt mihi nomẽ à baptiſma/te, nunc uero cum imperij ſceptro aſſumpſi nomen Dauid, dilectus deo, columna fidei, ſtirps Iuda, filius Dauid, filius Salomonis, filius columnæ Sion, filius ſeminis Iacob, filius de manu Mariæ, filius Nau per carnem, maximo & potentiſſimo & altiſſimo Ioanni Regi Portugalliæ & Algar biorum, filio Regis Emanuelis. Pax ſit tibi, & gratia domini noſtri Ieſu Chriſti ſit ſemper tecum, Amen. Eo tempore quo ad me relatum eſt de potentia Regis patris tui, qui Mauros fœdiſſimi Maomethis filios debel labat, Deo gratias ingentes egi, propter incrementum, & magnitudinẽ, & coronam conſeruationis in domo Chriſtianitatis. Similiter ſummam

cœpi uoluptatem ex legatorum aduentu, qui uerba ipſius regis ad me detulerunt, ex quibus ſingularis amor & notitia & amicitia inter nos effecta eſt, ad eradicādos expellēdosq́ꝫ malignos Mauros & incredulos gentiles, qui habitant inter tua meaq́ꝫ Regna. Dum eſſem in hac lætitia, audiui tuum meumq́ꝫ patrem prius eſſe uita defunctum, quàm hinc legatos ad eum remitterem. Quamobrem gaudiū meum in mœrorem ſubito conuerſum eſt: ita ut in hoc cordis mei dolore, mecum etiam aulæ noſtræ proceres & prælati eccleſiaſtici, & qui in monaſterijs ſunt, omnesq́ꝫ demū ſubditi noſtri uehementiſſimum luctum fecerint, ita ut uoluptas primi nuntij cum triſtitia huius nouiſſimi exæquaretur. Domine, à principio regnorum meorum hactenus nulla legatio, nullusq́ꝫ nuntius uel à Rege, uel à Regno Portugalliæ ad me peruenit. Tantummodo aliqua cognoſcebam ex peregrinis, qui ex uoto ſua ſponte ad Hieruſalem & Romam contendunt, & in diuerſas terras extenduntur. Quos percunctor de moribus ueſtrorum Regnorum, ſed nunquam certa noua habui, niſi dum uiueret Rex tuus pater, qui duces ſuos ad me miſit, & Proceres cum Clericis & Diaconis, qui totum ſolennium miſſarum apparatum attulerūt. Et propterea maxime ſum lætatus, & eos honorifice ſuſcepi, & non multo poſt eos dimiſi, ut reuerterentur cum honore & pace. Et poſtquā peruenerunt ad portum maris, qui eſt in finibus meis in mari rubro, non inuenere magnum præfectum claſſis, quem pater tuus miſerat: is enim non expectauit, & de hoc me fecerat certiorem, quoniam nō poterat expectare cum eſſet moris ueſtri de triennio in triennium magnum claſſis præfectum creare. Interim alius nouiter creatus aduenit: qua de cauſa longiorē quàm opus eſſet moram legati contraxerunt. Eos uero mitto, quos ad tuum & meum patrem mittebam cum meis mādatis, & ſimiliter eum quē ad Papam mitto. O domine rex frater mi, attende, & da operam amicitiæ, quam inter nos pater tuus aperuit, & crebro mitte nuntios & literas, nam eas magnopere uidere deſidero, uti à fratre meo. Nam id æquū eſt, cum ambo ſimus Chriſtiani, & Mauri qui mali ſunt, ſemper in ſua ſecta concordes exiſtūt. Et nunc profiteor me nolle in poſterum legationes Aegyptij regis admittere, nec aliorum item regum, qui ad me ſæpe legatos mittebant, ſed ſolum celſitudinis tuæ, quos uenire maxime opto, quoniā reges Mauri, me loco amici non habent propter religionis diſſenſionem, ſed amicitiam ſimulant, ut tutius & liberius mercaturam nobiſcum exerceant, unde magnum commodum conſequuntur. Ingentē enim uim auri, cuius ſunt amiciſſimi è regnis meis exportant, cum parum mihi ſint amici, & commoda eorum nullam mihi afferant lætitiam: ſed hoc tolerandum fuit, quoniam ſuperiorum regum noſtrorum uetus eſt inſtitutū: & ſi eis nequaquam bellum infero, & penitus profligo, temperandum in

hoc mihi eſſe arbitror, ne illi contra ſanctum templum in Hieruſam uio/
lent & diruant: In quo ſepultura eſt Ieſu Chriſti, quam deus in poteſtate
fœdiſſimorum Maurorum reliquit, & pariter ſolo æquarēt alia templa,
quæ ſunt in Agypto, & in Syria: & hæc cauſa eſt, cur eos non inuadam &
debellem, cuius rei me plurimum tædet, etiā hoc facilius mihi perſuadeo
eſſe faciundum, cum neminem Chriſtianum regem habeam finitimum,
qui me adiuuet, & cor meum exhilaret. Ego mi Rex nequaquam lætari
poſſum de Chriſtianis Regibus, cum eos audiam in uno corde minime
conſentire, uigereq́ inter eos bella. Eſtote ſimul omnes in una cōcordia
unanimes: Deberetis eñi inter uos certo fœdere eſſe contenti. Et certe ſi
mihi Chriſtianus Rex in meis finibus eſſet coniunctus, nunquā una hora
ab ipſo diſcederem, & de hoc non plane ſcio quid dicā, aut omnino faciam,
cum hæc à deo ordinata eſſe uideātur. Domine mi mitte obſecro frequen
tes ad me nuntios: nam cum literas tuas uideo, uultum certe tuum intu/
eor. Quoniam maior amicitia oritur inter longinquos & diſtātes, quàm
inter eos qui propinqui ſunt, propter deſiderium quò tenentur. Nam is
qui reconditos habet theſauros, cum eos oculus non uideat, corde ſemper
& quidem uehementiſſime diligit, ſicuti dominus Ieſus Chriſtus in Euan
gelio dicit: ubi theſaurus tuus, ibi cor tuum: ita cor meum apud te eſt, cū
tu ipſe meus ſis theſaurus, & tu pariter me tuum theſaurum debes effice/
re, & cum meo tuum cor ſincere copulare. O domine frater ſerua uerbū
hoc, nam ex prudentiſſimis & uti audio, patrem tuum ſapientia ſuperas,
& de hac re cognita ſtatim deo gratias egi, abiectoq́ dolore gaudium à
me ſuſceptum eſt, & dixi: Benedictus ſit filius ſapiens & magni capitis fili/
us regis Emanuelis, qui ſedit in cathedra Regnorum ſuorū. Dominus mi
caue ne defatigeris, cum ſis fortis, nō ſecus ac pater tuus, nec oſtende debi/
les uires aduerſus Mauros, & gentiles. Nam eos cum dei auxilio adiuuan/
te uirtute tua facile debellabis, & deſtrues, & nō dicas tibi eſſe à patre tuo
uires exiguas. Nam hæ ſunt certe ſatis magnæ, & deus ſemper opem fe/
ret, mihi adſunt uiri, aurum, cōmeatus inſtat, harenæ maris, & ſtellarum
cœli. Nos ſimul cōiuncti, totam Maurorum barbariem deſtruemus, ne/
que aliud à uobis peto, quàm peritos, uiros, qui meos milites armis inſtru
ant, & ordines ſeruare doceant, & tu Rex uir integræ ætatis exiſtis: Rex
Salomon duodecim annorum ætatis imperium ſuſcepit, habuitq́ ma/
gnas uires, & patre ſapientior fuit, ego quoque cum Nau pater meus ex/
ceſſit ab humanis, puer undecim annorum remanſi, ingreſſusq́ ſedem pa
tris, deo dante, ampliores opes, & uires eo ſum conſecutus. Nam in ma/
nu mea omnes finitimi, & Regni gentes exiſtunt. Propterea ambo grati
as deo agere debemus tanti accepti beneficij. Præbe mihi aures frater &
domine. Nam hoc uno uerbo à uobis poſtulo, ut artifices mihi mittant.
qui

qui imagines, & libros impreſſos, enſes, & omnis generis arma militaria fabricare ſciant. Itemq́ architecti, fabri lignarij, & medici, qui pharmaca componere, & uulnera curare didicerint. Cupio etiam eos habere qui aurum in bracteas extenuare, & aurum & argentum egregie cælare ualeant. Ac etiam aurum, & argentum ex uenis terræ eruere: & metallorum omnium fodinas exercere ſciant. Præter hos apud me etiam chari erunt, qui plumbeas tegulas ducent, & tegulas ex creta facere docebũt. Omnes deniq́ artifices mihi uſui erunt, & præſertim ſclopetrorum. Adiuua me obſecro in his rebus. Sicuti frater fratrem, & te deus ita adiuuabit, & ab omni malo liberabit. Deus exaudiat orationes, & petitiones tuas. Sicuti recepit ſancta ſacrificia in omni tempore, & in primis ſacrificia Abel, & Noë quando fuit in arca, & illud Habraam, quando fuit in terra Madian, & illud de Iſaach, quando diſceſſit à foſſa iuramenti, & illud Iacob in domo Bethleem, & Moyſis in Aegyto, & Aaron in monte, & Ieſon filij Nau in Galgala, & Gedonis ſupra plagam, & Sanſonis quando ſitim habuit in terra ſicca, & Samuelis in Rhama prophetæ, & Dauid Nacira, & Salomonis in ciuitate Gabeon & Heliæ in monte Carmelo, quando ſuſcitauit filium uiduæ mulieris è Richa ſupra puteum, & Ioſaphat in prælio, & Manaſſe quando peccauit, & ad deum eſt conuerſus, & Danielis in ſpelunca leonum, & trium ſociorum Sydrach, Miſach, & Abdenago in camino ignis, & Annæ ante altare, & Neemiæ qui fecit m uros cun Zorobobel, & Marathia cum filijs ſupra quartam partem mundi, & de Eſau ſupra benedictionem Ita domine, deus recipiet tua ſacrificia & ſupplicationes, & te adiuuabit, & erit pro te contra omnes peruerſitates in omni tempore & ſingulis diebus. Pax ſit tecum, & ego te amplector ſanctitatis brachijs, & ſimiliter ſingulos amplector, qui tibi ſunt à conſilijs ſanctis Regni Portugalliæ. Itemq́ Archiepiſcopos, & epiſcopos, ſacerdotes & diaconos, uirosq́ pariter & mulieres, Gratia dei & benedictio uirginis Mariæ matris dei ſit tecum, omnibus, Amen.

DAVID AETHIOPIAE REGIS SERENISSIMI ALTERAE LITERAE AD SANCTISSIMVM D. N. CLEmentem Pontificem VII. per D. Franciſcum Aluarez eius Oratorem perlatæ, & ex Aethiopico in Luſitanam indeq́ꝫ Latinam linguam traductæ.

FELIX ſancte pater, qui à deo effectus es gentium conſecrator, & ſancti Petri ſedem obtines. Tibi datæ ſunt claues regni cœlorum, & quodcunqꝫ ligaueris, uel ſolueris, ſuper terram erit ligatum, uel ſolutum in cœlis, ſicut dixit Chriſtus, & ita in Euangelio Mathæus ſcribit. Ego rex cuius nomẽ leones uenerant̃, & dei gratia Atani Tinghil, id eſt, Thus Virginis uocor, quod nomẽ eſt à baptiſmate: nunc uero in ipſo ſuſcepti regni initio aſſumpſi nomẽ Dauid, dilectus à deo, columna fidei, cognatus ſtirpis Iuda, filius Dauid, filius Salomonis, filius columnæ Syon, filius ſeminis Iacob, filius de manu Mariæ, filius Nau ꝑ carnẽ, Imperator magnæ & altæ Aethiopiæ, magnorũ regnorum & ditionũ, & terrarũ, Rex de Xoa, de Caffate, de Fatigar, de Angote, de Baru, de Belliguangue, de Adeon, de Vangue de Goiame ubi Nilus oritur, de Amara, de Baguemidri, de Ambea, de Vague, de Tigrimhao, de Sabaym, unde fuit Regina Saba de Bernegaes, & dominus uſqꝫ ad Aegyptũ, hæ ꝓuinciæ omnes ſunt in mea poteſtate, & pleræq́ꝫ aliæ magnæ, & item paruæ, quæ nũc à me nequaquam numerant̃, neqꝫ Regna & ꝓuincias ſuis nominibus expreſſi, ueluti ſuperbia, & uana gloria inductus, uerum ob id ut ſummus deus magis ac magis laudaret̃, qui ſingulari benignitate tot ampliſſimorũ regnorum Chriſtianæ religionis ſuperioribus meis regibus imperia tribuiſſet, ſed ꝑfecto me clariore gratia inter alios reges dignũ fecit, ut religioni continue inſeruirẽ. Quoniã me Adel dominũ fecerit, hoſtem Maurorũ & gentiliũ, qui adorãt idola. Mitto ad deoſculãdos pedes ſanctitatis ueſtræ more cæterorũ Chriſtianæ fidei regũ fratrũ meorũ, quibus neqꝫ religione, neqꝫ potẽtia ſum inferior: ego etẽi in regnis meis ſum colũna fidei, neqꝫ externis iuuor auxilijs, cum in ſolo deo ſpem opem reponã, qui me ſuſtinet, & gubernat ab eo tempore, quo angelus dei allocutus eſt Philippũ, qui fidem doceret eunuchũ, potẽtis reginæ Candacis, reginæ Athiopiæ, quæ à Hieroſolyma Gazam pergebat. Philippus tum baptizauit Eunuchum, & Eunuchus demũ Reginã cũ magna parte familiæ & populi eius qui nunquam deſierunt eſſe Chriſtiani, omniq́ꝫ ſequenti tempore perſtiterunt fortes in fide, prædeceſſores uero mei nulla alia ope audiui, quam

diuina

diuina, fidem in latiſſimis Regnis propagarunt, quod & ego quotidie efficere cõtendo. Maneo etenim intra maximos Regnorũ meorũ fines ut leo ingenti ſylua circundatus & ſeptus aduerſus Mauros obſidentes & alias nationes fidei Chriſtianæ inimiciſſimas, quæ nolunt audire uerbum dei, neq; cohortationes meas, & ego gladio accinctus eos perſequor, & paulatim extrudo diuino ſcilicet fretus auxilio, quod nunquam mihi deeſt, quod ſecus accidit Regibus Chriſtianis. Nam ſi regnorum ſuorum fines extendunt, id facile poſſunt aſſequi: quoniam alter alteri fert opem, & auxilia ſubminiſtrat, iuuanturq; benedictione ueſtræ ſanctitatis, cuius particeps ego ſum, cum in libris meis literæ habeantur, quas ſuperioribus temporibus Papa Eugenius cum benedictione miſit ad Regem ſemen Iacob. Qua accepta, & tradita per manus benedictione, ego fruor, & magnopere lætor. Cæterum ego in magna habeo ueneratione ſanctum templum in Hieruſalem, ad quod ſæpiſſime mitto oblationes debitas per noſtros peregrinantes. Et multo plures & digniores mitterem, niſi itinera à Mauris, & infidelibus obſiderentur. Nam præter illud, quod dona noſtra & theſauros nuntijs eripiunt, etiam eos libere per tranſire non permittunt, Quod ſi paterent itinera, in familiaritatem, & commertium Romanæ eccleſiæ deuenirem, uti fit à cæteris Chriſtianis Regibus, quibus in religione Chriſtiana nõ ſolum inferior: & ita ut illi credunt, unam fidem rectam & unam eccleſiã confiteor, credoq; ſinceriſſime in ſanctã trinitatẽ & in unum deum, & in uirginitatẽ dominæ noſtræ uirginis Mariæ, & articulos fidei teneo & obſeruo, uti ab Apoſtolis conſcripti fuerũt. Nunc deus optimus, manu potentiſſimi, & Chriſtianiſſimi regis Emanuelis iter patefecit, ut per legatos cõueniremus, & in fide coniuncti Chriſtiani cum Chriſtianis deo inſeruiremus. Sed dum in aula mea eius Oratores eſſent, allatũ eſt eum uitã cum morte cõmutaſſe, filiumq; eius, fratrẽ meũ Ioannẽ paterni regni ſceptrũ accepiſſe. Vnde ſicuti ex patris morte, ſummum ſenſerã dolorẽ, ita ex filij felici in regnum aſſumptione, mirifice ſum lætatus, adeò, ita ſperem nos cõmunibus copijs & uiribus per regiones Maurorũ peſſimorũ terra mariq; iter aperturos, atq; eos magno terrore illato, ſedibus & regnis eſſe depulſuros, ut cõmodo pacatoq; itinere Chriſtiani Hieroſolymitanũ tẽplum petere, & libere cõmeare poſſint. Atque ego inprimis, ſicuti uehementer exopto, diuini amoris particeps eſſe poſſim in tẽplo Apoſtolorũ Petri & Pauli. Cupio autẽ ingenti deſiderio cõſequi ſacroſanctã benedictionẽ à Vicario domini noſtri Ieſu Chriſti. Nã proculdubio ſanctitas ueſtras dei eſt Vicarius. Et cum à peregrinis, qui ex regionibus noſtris ad Hieruſalẽ, atq; inde Romã nõ ſine miraculo eunt & redeũt, multa de ſanctitate ueſtra ab his audio, que mihi incredibilẽ afferũt uoluptatẽ & gaudiũ. Sed multo maiorẽ oĩno capere lætitiã, ſi mei

Oratores breuiore itineris compendio uti poſſent, & noua referrent. Sicuti antequã moriar aliquando allaturos ſpero, non ſine gratia dei omnipotentis. Qui uos in ſanitate, & ſanctitate conſeruet, Amen. Exoſculor autem pedes ſanctos, & ſupplex oro, ut benedictionem ad me mittat.

DAVID AETHIOPIAE REGIS SERENISSIMI ALTERAE LITERAE AD SANCTISSIMVM D. N. CLEmentem Pontificem VII. per D. Franciſcum Aluarez eius Oratorem perlatæ, & ex Aethiopico in Luſitanam indeq́ Latinam linguam raductæ.

IN nomine dei patris omnipotẽtis, creatoris cœli & terræ, inuiſibilium & uiſibilium. In nomine dei filij Ieſu Chriſti, qui eſt idem cum ipſo à principio mundi, & eſt lumen de lumine, & deus uerus de deo uero. In nomine dei ſpiritus ſancti dei uiui, qui proceſſit ex deo patre. Has literas is ego Rex mitto, cuius nomen leones uenerant, & dei gratia uocor Atani Tinghil, id eſt, Thus Virginis, filius regis Dauid, filius Salomonis, filius Regis per manũ Mariæ, filius Nau per carnem filius ſanctorũ Petri & Pauli per gratiã. Pax ſit tibi iuſte domine pater Sancte, potens pure, ſacrate. Qui es caput Pontificũ omnium, & neminem metuis, cum nemo poſſit tibi maledicere: Qui es uigilantiſſimus ſupra animas curator & amicus peregrinantiũ, cõſecrate magiſter & prædicator fidei, earũ rerum hoſtis, quæ conſcientiã offendunt, amator optimorũ morum, uir ſanctus quem omnes laudent & benedicũt. O felix ſancte pater, ego tibi reuerenter obedio, cum ſis pax omniũ, & cuncta bona merearis, & ita æquũ, ut omnes tibi obedientiã præſtent, ſicuti ſancti Apoſtoli præcipiũt apud deũ: hoc uere ueſtrum eſt, itã etiã præcipiunt ut ueneremur epiſcopos, archiepiſcopos & Prælatos. Similiter, ut te loco patris amemus, & loco Regis uereamur, & tibi uti deo fidem habeamus. Propterea dico ego humiliter ad terram genibus flexis tibi pater ſancte, ſincero admodum corde, quod tu pater meus es, & ego filius tuus. O pater ſancte potẽtiſſime, cur neminẽ unquam ad nos miſiſti? ut certius de uita saluteq́ mea cognoſceres. Cũ tu ſis paſtor, & ego ouis tua: Bonus etenim paſtor, ſed gregis nunquam obliuiſcetur, nec tibi à regionibus ueſtris nimiũ ſemotus debeo exiſtimari, ut nuntij ad me nequeãt peruenire, cum ex remotiſſimis terrarum Regnis Portugalliæ Rex Emanuel filius tuus Oratores ad nos cõmodiſſi-

me miſerit,& ſi deus eum ad ſe in cœlum euocare diſtuliſſet, ea quæ tum agitabamus proculdubio felicem exitum habuiſſent, nunc uero maxime opto proſpera & ſalutaria de ſanctitate ueſtra, per certos nuntios audire: neque enim unquam uerbum à ſanctitate ueſtra recipi, cum aliqua tantum à noſtris, qui ex uoto peregrinantur audierim. Sed hi cum neq; meo nomine proficiſcantur, neq; quicquã literarũ à uobis afferãt, incerta fide nobis percunctantibus dicunt ſe ab Hieroſolyma: deinde ſolutis uotis ad uiſitanda Apoſtolorum limina Romam perueniſſe, cum intelligam ea loca facile peti, quod à Chriſtianis teneantur, & certe ſummã capio ex eorũ ſermonibus uoluptatem, quoniã dulciſſima cogitatione ſancti uultus tui imaginem intueor, quæ mihi angeli formæ ſimillima uidetur, & illam ſicuti angelicam me diligere uenerariq́; fateor: Sed ꝓfecto mihi eſſet gratius atq; iucundius uerba tua, tuasq́; literas deuotiſſime contẽplari. Atq; ita nunc te oro ut nuntium tuũ cum benedictione ad me mittere uelis ad exhilarandum cor meũ: nam cum in religione & fide conſentiamus, id mihi ante omnia uidetur expetendum, ſuppliciterq́; item oro, ut amicitiam meã ad inſtar annuli quem induis in digitum, & torquis aureæ quàm humeris imponis, in intimũ cor reponere uelis, ut mei memoria nunquã ex animo ueſtro deleatur. Gratis etenim uerbis & literis amicitia maxime creſcit, cum eam ſancta pax complectitur, è qua omnis humana lætitia facile prouenit. Quemadmodum enim is qui uehementer ſitit, frigidam maxime aquam deſiderat, ut in ſacris ſcripturis habetur, ita animus meus ex nuntijs, & literis, quæ ex remotiſſimis terris deferuntur incredibile, gaudiũ concipere ſolet, neq; tantũmodo de Sanctitate ueſtra, ſi aliqua audiero. Verũ ſi certa de ſingulis terræ Chriſtianæ Regibus referentur, mirum in modum lætabor, ſicuti his accidit, qui præliando optima ſpolia reperiunt & legunt, hoc enim facilime fieri poteſt, poſtquam Rex Portugalliæ totũ id iter aperuit: qui ad nos iam pridem legatos ſuos miſit, cum ſtrenuiſſimis equitibus, dum pater meus Rex Emanuel adhuc eſſet in humanis, neq; tum aut demum à quoquam alio Rege Chriſtiano, uel ipſo Pontifice aut nuntium, aut omnino literas recepimus. Quanquam in noſtris Archiuijs proaui noſtri earum literarũ memoria conſeruetur, quas papa Romanus nomine Eugenius ad has terras miſit, cum regnaret ſemen Iacob Rex regum in uniuerſa Aethiopia, Rex metuendus. Præſcriptio autem literarũ hæc erat. Eugenius Romanus Pontifex filio dilecto noſtro Regi ex ſemine Iacob, Regi regum in uniuerſa Aethiopia maxime metuendo &c. In ſumma autẽ literarũ ſignificabat filiũ ſuũ Ioannem Palæologũ, qui biennio an eſſet mortuus Regem regũ Romanorũ ad ſacroſanctã ſynodũ celebrandũ euocatũ fuiſſe, & cũ eo Ioſephum Patriarcham, Conſtantinopolitanũ ueniſſe cũ magno numero Archiepiſcoporũ

&

& epiſcoporum,& omnis generis Prælatorum, in quibus etiam fuiſſent procuratores Patriarcharum Anthiocheni, Alexandrini, & Hieroſolymitani. Qui omnes ſecum ſanctæ fidei & religionis amore firmiter ſe coniunxiſſent, conſtitutaq́ unitate eccleſiæ ſublatas fuiſſe antiqui temporis difficultates non ſine diuino auxilio, quæ erroneæ, & religioni contrariæ uidebantur, quibus rebus rite ſancitis & conſtitutis ipſe Papa omnibus ſingularem lætitiam peperiſſet. Hunc autem librum Papæ Eugenij ad uos mittimus, quem incorruptũ ſeruauimus, totum etiam Põtificiæ benedictionis ordinem & poteſtatem miſiſſemus, niſi harum rerum nimis magnum uolumen eſſe uideretur, cum magnitudine librum Pauli ad gentes omnino ſuperet. Legati uero qui hæc à Pontifice ad nos detulerunt, fuere Theodorus, Petrus, Didymus, & Georgius ſerui Ieſu Chriſti. Tu uero ſanctiſſime pater recte feceris, ſi euolui ueſtros libros iuſſeris, ubi harum rerũ, de qbus ſcribimus, uti facile arbitror, aliqua memoria reperiat̃. Itaq; ſancte pater ſi aliqua ad nos perſcribes, firmiter exiſtimato cuncta in noſtros libros diligentiſſime fore conſcripta ut poſteris noſtris earum rerum ſempiterna memoria relinquatur. Et certe is mihi beatus eſſe uidetur, cuius memoria cuſtodita literis in urbe ſancta Roma, & in ſede ſanctorum Petri & Pauli cõſeruatur. Hi enim ſunt domini regni cœlorum, & totius mundi iudices. Et quoniam ita credo, propterea has mitto literas, ut mihi gratia paretur apud ſanctitatem ueſtram, & ueſtrum ſanctiſſimum ſenatum, ut inde ſancta benedictio mihi proueniat, & bonorum omnium incremẽtum. Obnixe etiam precor ſanctitatem ueſtram, ut mihi mittere uelit aliquas ſanctorum imagines, & præcipue beatæ Mariæ uirginis, ut ſæpiſſime ſit in ore atq; memoria mea nomen ueſtræ ſanctitatis, & cõtinuam ex muneribus ueſtris capiam uoluptatem. Idcirco etiam uehementer poſtulo, ut mihi artifices mittatis, qui imagines fabricent, atq; item enſes & arma bellica omnis generis, itemq́ cælatores auri & argenti, & fabros lignarios, præcipue architectos, qui domos ex lapide conſtruant, & tegulas ex plumbo cuproq́ ducere ſciant, quibus domorum tecta protegantur: ad hos etiam nobis admodum chari erunt, qui uitrum conflare, organaq́ muſica ſcite facta & docte pulſare ſciant. Itemq́ fiſtulatores & tibicines. Hos uero artifices ex domo ueſtra præcipue mihi mitti uellem, uel ſi horum domi ueſtræ exigua erit copia, ab alijs Regibus filijs ueſtris eos ſanctitas ueſtra poterit impetrare, quoniam ueſtris imperijs & nutibus facile obediunt. Hi cum ad me peruenerint pro meritis ſummo in honore habebunt̃, ex liberalitate mea mercedem amplam accipient, & ſi domũ aliquis redire concupiſcet, præmijs abunde ornatus abibit uti placuerit, quando nec inuitum quempiam ſim retenturus, cum fructum aliquem ex eius induſtria percepero. Nunc ad alia trãſeundum

eſt,

eſt: & tam à te poſtulo ſanctiſſime pater, cur non hortaris Reges Chriſtianos filios tuos, ut arma deponant, & uti fratres decet inter ſe concordes eſſe uelint: poſtquam ipſi oues tuæ ſunt, & tu ipſe paſtor earum: optime quidem tua ſanctitas nouit, quid Euangeliũ præcipiat, quod dicit, omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur. Nam ſi Reges animis & fœdere certo conſentient, faciliſme Maomethanos omnes delebunt, & pſeudoprophetæ ſepulchrum, quod in urbe Mecha eſt, felici irruptione diſturbabunt & diruent. Ob hanc rem da operam pater ſancte, ut inter eos bona pax fiat, & certum fœdus amicitiæ percutiatur, hortareq́ eos, ut mihi adeſſe atq; opem ferre uelint, cum in Regnorum meorum finibus à Maomethanis Mauris peſſimis hominibus ſim ex omni latere circundatus. Ipſi autẽ Mauri Maomethani inter ſe mutuis auxilijs utuntur, Regesq́ cum Regibus, & Reguli cum Regulis aduerſus nos ſincere & conſtantiſſime conueniunt. Mihi Maurus quidam admodum eſt uicinus, cui finitimi alij Mauri arma, equos, atq; inſtrumenta bellica ſuppeditant. Hi ſunt Reges Indiæ, Perſidis, Arabiæ, atq; Aegypti. Quibus de rebus ſingularẽ animo indies capio moleſtiam, cum hoſtes Chriſtianæ religionis fraterna charitate inter ſe coniunctos pace frui conſpiciam. Reges uero Chriſtianos fratres meos nihil omnino iſtis iniurijs commoueri, neq; ullam opem mihi afferre, uti certe deceret Chriſtianos, poſtquam fœdiſſimi filij Maomethis inter ſe mutuis opibus adiuuantur. Neq; ego is ſum qui ad id militares copias poſtulem, cum milites mihi ſuperſint, orationes & ſupplicationes tantum peto, locumq́ gratiæ apud ſanctitatem ueſtram, & reges fratres meos exopto: quærẽda enim mihi eſt hæc uobiſcum amicitia, ut copioſe his rebus, quas ſupra poſtulaui ad terrorem Maurorum ſim inſtructus & Chriſtiani nomini uicini mei intelligant Reges fratres meos ſingulari ſtudio mihi fauere, atq; opem ferre, quod certe ad commune decus pertinet, poſtquam in una religionis & fidei ueritate conſentimus, & in conſilio ſumus permãſuri. Quod firmum ac abſolutum erit cum eo quod utilius eueniet. Deus itaq; deſideria ueſtra impleat ſuper laudibus Ieſu Chriſti, & patris noſtri, quem omnes laudant per omnia ſæcula: & tu domine pater ſancte complectere me cum omnibus ſanctis Ieſu Chriſti, qui ſunt Romæ, & pariter in hos amplexus recipiãtur omnes incolæ Regnorum meorum, & qui Aethiopiam inhabitant, & reddatur gratia domino Ieſu Chriſto cum ſpiritu ueſtro. Has uero literas ſanctitas tua accipiet de manu fratris mei Ioannis Regis filij potẽtiſſimi regis Emanuelis per Oratorem noſtrum Franciſcum Aluarez.

QVibus literis perlectis, cum idem Franciſcus Aluarez Orator, hæc ipſa quæ ſubſequuntur Luſitano ſermone protuliſſet. Tum deinde Secretarius eiuſdem Oratoris Portugalliæ eadem uerba, ut ab omnibus intelligi poſſent, latine pronuntiauit, uidelicet: Sanctiſſime ac beatiſſime pater, ſereniſſimus, ac potentiſſimus dominus Dauid Rex magnæ & altæ Aethiopiæ, uulgo Prætegyam appellatus, haud minus cultu ueræ religionis, quàm imperio, opibus, ac regnis præcellẽs: hunc ſuum Oratorem ad ſanctitatem ueſtram cum his litteris quas ei reddidit, deſtinauit: Mandans ut eidem ſanctitati ueſtræ, tanquã uero Chriſti Vicario, Petri ſucceſſoris, ac uniuerſæ eccleſiæ ſummo pontifici, ueram obedientiam & ſubiectionem nomine ſuæ maieſtatis, ac omnium Regnorum ſuorum humiliter ſicut fecit præſtaret: Eiq; munuſculũ aureæ crucis, non tam pretio, quod tenue eſt, quàm ueneratione eiuſdem crucis, quàm dominus noſter Ieſus Chriſtus pro nobis ſubire dignatus eſt, à ueſtra ſanctitate, æſtimandum offerret: Supplicans eidem humiliter eiuſdem principis ſui nomine, ut hæc omnia pio parentis affectu à deuotiſſimo filio ſuo ſuſcipere dignetur.

Ad quæ Secretarius eiuſdem ſanctiſſimi D. N. à ſanctitate ſua iuſſus in hunc modum reſpondit.

Sanctiſſimus dominus noſter: Te domine Franciſce Aluarez, ſereniſſimi Dauid Aethiopiæ regis Oratorem, unà cum obedientia, munere & litteris, quas attuliſti grato admodum animo, benigna uoluntate, & paterno affectu recepit: Gratias deo agens, quod ſuis temporibus literas, & Oratorem tanti Chriſtiani Regis, ac tam remoti, uidere ſibi conceſſerit. Itaq; literas ac tua uerba diligenter ac libenter audiuit, obedientiam unà cum uenerabilibus fratribus ſuis. S. R. E. Cardinalibus benigne acceptat: Munusq; ipſum, cum ob imaginem & honorem ſanctæ Crucis, cum obmittentis affectum, ualde gratum habet: tum uero Sereniſſimũ Portugalliæ Regem ſumme collaudat in deo domino, quod is præter cætera eius & progenitorum ſuorum ingentia erga Rempub. & fidem Chriſtianam merita, etiam de ipſo Dauid rege benemereatur, amicitiã, cõmertium, cum eo coniungat, ac te cum his literis tuto ad ſanctitatẽ ſuã peruenire curauerit. Quod ad reliqua attinet, ſua ſanctitas omnem datura eſt operam, ut pijs dicti regis deſiderijs quantum in tanta terrarum diſiunctione fieri ab ea poterit, ſatisfiat, utq; is ſemper intelligat ſe apud ſanctitatem ſuam, & ſanctam Apoſtolicam ſedem inter cæteros Chriſtianos principes, chariſſimi in Chriſto filij, loco, amore, & honore eſſe. Ac fore deq; his rebus ſua ſanctitas & cum Oratore Portugalliæ ac tecum hic aget, & per literas ac nuntios ſuos maieſtati tui regis particularibus reſpondebit.

Finis.

IOANNIS BAPTISTAE EGNATII VENETI DE ORIGINE TVRCARVM.

TVRCAE, partim Caſpio mari proximi, qui Aſiam, Orientemq́; uaſtarunt, Caucaſiq́; ueteres incolæ, qua parte ad Arctum uergit: partim inter Scythicas gentes relati, & Hunnici ſanguinis, qui poſtea Vngari dicti ſunt, exiſtimati: quod ex Græcis autoribus, & Latinis aliquot colligas. Veteres ſcriptores (quod ſciã) de his nihil, præter Mellam & Plin. ille præter nudum Turcarum nomen in Scythiæ relatione nihil aliud addidit. Siue igitur ueteres illi à Mella relati, ſiue recens aliquod genus hominum, eorum certe qui Caſpij maris accolæ fuere, tenuiſſima memorant primordia, & ut cæterarum gentiũ planè obſcura: nam ſeptingenteſimũ ab hinc annum natali ſolo relicto, in Perſidem atq; Aſiam minorem primum impetum fecere, ſed nec unus dux illis, nec certum imperium: uagi, diſpalatiq́;, quóue cuiq; ſors affuit, latrocinantes magis quâm belligerantes prouincias uaſtarũt: prima ſtipendia Baſilio Macedone imperante ſub Muchumetio Saracenorum principe meruere: quorum præcipue opera Babylonios, Indosq́; ille uicerit. Sed peperit his uirtus inuidiam prohibitiq; ad ſua redire, indignati primo ſecedunt: inde uno alteroq́; prælio Tangrolipicis Mucaletij ducis eorum auſpicijs feliciter aduerſus Saranos geſto, tandem egregie uincunt. Muchumetiumq́; profligatum acie obtruncant: ex quo res Turcica ad Tangrolipicem delata. Is alijs Turcis ad ſe accerſitis Cucumetiũ nepotem aduerſus Arabas: cum paratiſſimis copijs miſit: qui prælio ab his uictus, cum à patruo per ſummum contemptum exceptus eſſet, eius iracundiã ueritus, ab illo deficit, & Paſara Choraſmiorum urbe munitiſſima ſeſe includit. Tangrolipix interea prælio genti funeſtiſſimo in Mediæ finibus cum Romanis Aſani alterius nepotis ductu conflixit. Quo uicto & cæſo, indigatus ille Aleimum fratrem iterum in Romanos miſit: qui egregiã uictoriam capto Liparite Græcorũ duce, & cæſis etiam Iberis Romanorũ ſocijs retulit: ſed cum Liparitem primum, mox & dona à principe miſſa facile Turca reddidiſſet, nec præſtarent Romani quod promiſerant, ingẽtibus copijs accinctus Tangrolipix Aſiam omnem ad Euxinum mare aut uaſtat, aut ſubigit: uariatũ deinde ingente factionibus exortis ad Gallorum uſq; memorabilem illam expeditionem, qua fracti ab his ſæpius, magna etiam imperij parte multati ſunt. Donec Othomanus ab hoc Selino, qui rerum nunc potitur, nonus ueterẽ gentis gloriam aſſerere auſus eſt. Is obſcuro loco & parẽtibus

agrarijs natus, uirtute ac calliditate ſingulari, conflata per ſeditionē ma-
nu, circunferre Turcica cœpit arma, in ſuæ gentis homines nō minus in-
feſtus quàm in noſtros. Paulatimq́; rerum ſucceſſu, & imperādi libidine
inflāmatus, caſtellum, quod Othomanū de ſuo nomine appellari uoluit,
cepit: diſtabat id à Pruſia Trapezuntem uerſus itinere dierum ſex, ageba
tur autē annus ſalutis noſtræ milleſimus trecenteſimus, præeratq́; in Ba-
rionæ ſede Bonifacius octauus, circa exitum Michaëlis Palæologi, & An-
dronici nepotis initia: quo tēpore Germanis Albertus imperabat. Otho
manus igitur his auſpicijs intra octo & uiginti annos, quibus rerum poti
tus eſt, incredibile dictu quantū rem ſuam auxerit: magnam certe Bithy-
niæ partem breui ſubegit, oppidaq́; ad Euxiniū poſita non pauca cepit:
qui moriēs Orchani filio regnū per manus tradidit: ſub quo diſſidio Græ
corū Cantacuzeno & Palæologis cōtendentibus, adeò res Othomanica
creuit, ut Pruſiam Græcis ademerit, & dum Cantacuzeno magis quàm
Palæologis fauet, primus in Europam ab eo accerſitus, traiecit. Carama-
num etiam, perfidia in illum uſus, cuius filiā in uxorem duxerat, interfe-
cto eius filio adoleſcente, non exigua principatus parte exuit. Qui poſt
uigeſimumſecundū imperij annum Ammuratē filium hæredem reliquit.
Is auitā, paternamq́; felicitatē æmulatus, in Caramanum auum mater-
num nō minus infeſtus quàm pater fuit: mox ab imperatore Palæologo
ſolicitatus in Bulgaros, fratremq́; Peloponneſſi principē, qui bellum mo
uerant XII. Turcarū millibus in Europam tranſportatis, egregie Bul-
garos, hoſteſq́; imperatoris ultus eſt: hinc Europeis opibus illectus, dum
ulciſci imperij hoſtes ſimulat, uſus Genuenſium nauibus, Helleſpontum
ad Abydū ſuperat, Callipolimq́; cum alijs oppidis occupat. Is fuit annus
milleſimus trecenteſimus ſexageſimuſtertius, nec multo poſt Seruiā, Bul
gariamq́; ingreſſus, cum Hadrianopolim prius occupaſſet, occurrentes
ſibi cum paratiſſimis copijs hoſtes, ingenti cæde profligat, Lazaro Ser-
uiæ principe in acie cæſo, ſed mox à ſeruo in domini uindictam Ammura
tes occiditur, cum annos uiginti tres imperiū tenuiſſet, Pazaite & Soli-
mano liberis ſuperſtitibus. Pazaites interfecto per inſidias fratre, patris
mortem ulturus, Marcum Craieuicū Bulgarorū principem prælio ſupe-
rat, & interfecit, inde magnam Bulgariæ partē ſibi ſubiecit: nec tanto re-
rum ſucceſſu quietus, Boſſinam, Croatiam, ulterioreſq́; Illyrici partes ua
ſtat. Conſtantinopolim annos octo obſidet, facileq́; obſeſſam iam tunc
expugnaſſet, niſi Vngarorū, Gallorumq́; aduentum formidans; quibus
ad Nicopolim occurrit, memorabili prælio noſtros ſuperaſſet, cæſis, ca-
ptiſq́; magna ex parte Gallorū ducibus, in primis Ioanne Burgundiæ du-
ce, & Sigmundo Vngariæ tunc rege tumultuaria pugna fuſo, qui facile
in hoſtis poteſtatem ueniſſet, niſi Venetæ claſſis occurſu ſeruatus è fuga
eſſet;

eſſet,cui tum Thomas Mocenicus qui poſtea Michaëli Steno ſucceſſit, præerat:inde ad Conſtantinopolitanam obſidionem ſpei plenus regrediens,cum eam biennio obſeſſam tenuiſſet,trepidiſſimis Tamberlanis Scythæ nuntiјs,qui infinita penè multitudine Turcarum terras inuaſerat,excitus,illi ad Stellam montē congrediunt̄, in Galatiæ,Bithyniæq́ cōfinio. Cæſa ſunt in ea acie Turcarum ducenta millia:uiuus ipſe Pazaites in hoſtis poteſtatē uenit, qui aureis cathenis caueæ uinctus, ad mortem uſq́ à Tamberlane circunductus eſt. Incidit hæc clades Turcis in annum milleſimum trecenteſimum nonageſimumſeptimum ſalutis noſtræ, Bonifacio nono pontifice Romano. Huic duo fuere liberi mares: Orchanes, quē aliј Calepinum,& Maomethes,quem noſtri Moyſen magno, uti uideo, errore dicunt. Orchane intra bienniū per inſidias à fratre interfecto Maomethes rem Turcarum ſolus occupat,qui Turcia auito regno Aſiæ recepto per Tamberlanis interitum Bulgarios & Vlachos prædis & cladibus afflixit,Hadrianopoliq́ recepta, regiam ibi ſedem ſtatuit: ipſo poſt annos ſeptem & decem mortuo, Ammurates filius regnum init, Ioanne XXIII. Barionæ ſedem tenente hic maiorum gloriam nō ſolum æquauit,uerumetiā longe ſuperauit. Prima illi expeditio in Myſorum principem,qui nunc Serui dicuntur,fuit:de quibus Scopiam & Nouemontū poſt longam obſidionem cepit. Duos Reguli filios captos oculis priuat, poſtea ſororem eorum uxorem ſibi adſciſcit,reſtitutoq́ per has nuptias Nouemonto:in Vlachos,Vngaros & Germanos incurſiones graues facit,inde in Epeirum deflectens Croiam expugnat. Venetorum arma in ſe ſolicitat,Theſſalonica his per uim adempta, interim unà ab Vngaris ingēti pugna uictus,induciјsq́ ab his decennalibus impetratis,iterum ab iјſdem Vngaris præter iuſiurandi fidem Eugeniј pontificis hortatu bello petitur:quos duplici prælio ducum noſtrorum diſcordia & ambitione uicit, in altero ad Varnam Ladislaus rex Poloniæ, & Iulianus Cardinalis obiere:in altero ad Baſila uictus Hunniades, cæſiq́ principes Vngari nō pauci,præter Gregarium militem,qui ad internitionē occubuit. Nec moratus Peloponneſſum fratrum diſcordia iniuriæ obnoxiam in ditionē redegit: exinde reputans animo regni moleſtias, & fortunæ inconſtantiam animo agitans,in Aſiam abiјt ſolitariam uitam ſecutus,& Maomethæ filio cura rerum demandata ſub Calibaſſæ tutela,quam non multo poſt repetere ſuaſus (ætas enim filiј nō ſatis idonea rei adminiſtrandæ adhuc uidebatur) Epeirum ingenti exercitu repetit (defecerat enim ferè uniuerſa Scanderbecchio autore)& Croia fruſtra per aliquot menſes oppugnata, mœrore animi obiјt cum annos quatuor & XXX. regnaſſet. Longum eſſet ſi Maomethis eius filiј res geſtas explicem,quæ quantæ fuerint,nouum Othomanicæ familiæ magni cognomentum ab eo quæſitum,& in

heredes iam̃ tranſmiſſum arguat. Is enim duo Chriſtianorum imperia Conſtantinopolitanum, & Trapezuntium ſubuertit: regna duodecim nobis ademit, ducentas urbes Chriſtianam pietatem ſecutas cepit, & in his Chalcidem inſulam armis & Scodram deditione Venetis extorſit. bellum maritimum permultos annos cum maioribus noſtris geſſit. Capham ponticam urbem expugnauit. Rhodon inſulam fruſtra tentauit, Italiæ capto Hydrunte arma intulit: & dum pluſquã ciuile bellum in maiorem filiũ meditatur, cum annum unum & XXX. præfuiſſet, obijt anno ſalutis noſtræ MCCCC. octuageſimo primo, quinto Nonas Maij. Quo mortuo res Turcica ciuilibus armis aliquandiu iactata eſt. Sed minore fratre uicto & fugato, ſolus imperiũ Pazaites obtinuit, qui Vlachiæ caſtella quædam cum expugnaſſet, inde in Sultanum Aegyptium copias eduxit, à quo ſæpe uicti Turcæ, tandem pacem, fœdusqꝫ iniere. Cæterum cum otij appetentior à natura uideretur, nec tamen per ſuorum hominũ ferociam feriari à re bellica poſſet, paratis terra mariqꝫ ingentibus copijs anno MCCCC. nonageſimoſecundo, Cerauniorũ montium accolas inuadit, tractumqꝫ illum liberarũ ſemper ad eam diem gentiũ Turcicæ ſeruituti ſubdit, inde ſeptimo poſt anno terribili claſſis apparatu Venetis Methonem, Naupactũqꝫ, mox inde & Dyrhachiũ adimit, Quin & in Foroiulienſi agro trepidatũ Turcis fœde terrã eam magno noſtrorũ damno uaſtantibus. Nec multo poſt pax ſecuta Andreæ Gritti patricij clariſſimi opera, poſtquam non diu ſuperſtes Pazaites fuit regno à Selino filio pulſus, qui rerum nunc potitur, ex quo annos fermè XXX. imperitaſſet.

POMPONII LAETI

DE ORIGINE MAOMETHIS.

HERACLII Sergius Conſtantinopolitanus Pont. caput diademate cinxit, eadẽqꝫ die Fabiã Eudociã duxit uxorẽ, ſimulqꝫ & ſacratiſſimæ coronæ, & nuptiarũ pompa celebrata eſt. Totũ Orientẽ uaſtauerãt Perſæ, & legiones ſæpius reparatas, ſæpius deleuerãt. Hinc Scythæ & Auari Europã diripuerant, & Romanos milites interfecerãt, pauciſſimi in tot cædibus ſupererãt, ex his qui militauerant ſub Mauricio & Phocate, uix crediderim quod quidã ſcribunt duos tantum ſuperfuiſſe. Ambiguus erat Heraclius, Europã ne, an Aphricã uindicaret. Criſpum Capadociæ præfecit, fœdus cum Chagono ante longũ murũ Atanaſij percuſſit, cum Langobardis induciæ nondũ exierant, Aphricã firma præſidia tuebant̃. Itaqꝫ tota mole ad Orientẽ liberandũ conuerſus eſt, priuſquã bellũ gereret, legatos eos miſit ad Coſroën, ut à uaſtatione urbiũ, & Romanorũ cæde ceſſaret, utqꝫ iam ſatur humano ſanguine rediret in Perſida, deinde fru-

ſtra

ſtra orauit inducias, ille cum animus omnia perdendi erat, bis legatus contempſit. tandē ſpretis conditionibus pacis, ſuperbe & cōtumelioſe reſpondit, ſe nunquā cum Romanis quieturū, niſi poſtpoſita & abnegata Ieſu Nazareni crucifixi religione, Mitrā, hoc eſt, Solem, qui unicus eſt deus, adorarent. Imperator indignatus, deſperata pace, expeditionē quàm cœperat, parauit, acrem delectū undiq; haberi iuſſit, nouas legiones ſcripſit. Nam ueteres occiderant, & priuſquā ad bellum duceret exercuit, ut ſolet de Tyronibus fieri, ad liberandū Orientē pergit. Coſroēs factus de bello certior, Palæſtinā, Iudeāq; diripuit. Hieroſolymas poſt longam Chriſtianorum occidionē, exhauſtis omnibus, & omni ſuppellectile, cōſumpſit. Lignum ſalutiferæ crucis, unà cū ſanctiſſimo urbis epiſcopo, in auita regna ferri iuſſit. Oſtanē Satrapā cum ualido exercitu, contra uenientē Heraclium miſit, res primū leuibus prælijs tentata eſt, deinde totis uiribus pugnatū eſt. Perſi uicti terga dedere. Cæſa ſunt hoſtiū ſupra xxx millia. Oſtanes fugit. Saraces & Sarabaſſes duces cecidere, nec tanta cæde ulti ſumus. Iamq; iterū ac tertio uictores, deleto ac cæſo ſupplemēto longe maiore, cū duce Saie & Razetene in uiſcera Perſidis ſuperato Tygride penetrauimus, ſæuitūq; eſt, nō modo in homines, uerū in urbiū direptiones, nec temperatū eſt à pfanis hoſtiū templis. qua ſtrage, noſtra uulnera recōpenſauimus. ſecūdo & tertio prælio cœleſti auxilio uſi, uictoriā adſecuti ſumus, ſed tertius ille cōgreſſus cæſis multis millibus, finē bello Perſico fecit. Coſroēs deſperatis rebus Cteſiphontē aufugit, ubi à Siroē interfectus eſt, qd pater Medarſe filio alteri, ſed natu minori regnū tradiderat. Quare & hic cecidit uxoresq;: negocio pfecto, Siroēs, ablatas opes quas reperit, captiuosq; Romanis, & lignū uitæ reſtituit Heraclio, & primus ipſe de morte patris ac fratris ſcripſit ad principē. Paxq; ei data eſt, ijs conditionbus, ut limes Perſici ac Romani imperij Tigris eſſet, atque Perſæ Meſopotamiā non attentarēt. tertiæ pugnæ dies, faſtis Rom. adſcriptus adhuc magnæ uenerationis eſt. Exercitus uictorū & laureatus honuſtus fercuculis atq; tropeis magna lætitia & ingenti gloria Cōſtantinopolim redit. dux purpuratus aureo inuectus curru, non lauream manu, ſed lignū crucis tenens, ſe lætantibus populis ſpectandū præbuit. Gratum & ſalutiferū ſpectaculū, occurrētibus ſacerdotibus regio ornatu inſignibus, pompaq; admirabili, præeūte Pōtifice, in ſacratiſſimo tēplo poſitū eſt, maior hic certe triūphus, quàm q Deglemere uicto & Aphrica recuperata habitus eſt. Imperauit Heraclius an. xxxi. ferūt hydropiſi occubuiſſe. Alij ſcribūt nouo cladis genere, teſtiū folliculo ſurſum uerſo, ſimul cum uirili mēbro, & ſemp tento adeò ut quoties meieret, niſi tabula umbilico admota prohibente, uultum lotio ſparſiſſet. Exiſtimant ob inlicitas nuptias id adcidiſſe. Lapſus etiam fertur in hæreſim Monotelitarum.

Huius tempore prodiſſe in lucẽ Maometh memoriæ proditum eſt;
obſcuris genitum in Arabia parentibus, captumq́; ab Scenitis (Numi-
darum more uiuunt) & mox uenditum. Abdimoneples Iſmaelitici gene-
ris emit locuplex mercator, qui non ut ſeruum, ſed liberum loco educauit.
Forma puerum conciliabat: cum adoleuiſſet mercimoniis præpoſuit, qui
dexteritate ingenii cum ualeret, commertio uſus Chriſtianorum Iudæo-
rumq́; & aliorum, & lucro augendo diligẽs, primum domino gratus, in-
de in noticiam plurimorũ uenit. Erat tum in Arabia Sergius monachus.
Eò enim è Byzantio fugerat, ſceleſtæ opinionis pœnas metuens, inq́; do-
mum Abdimoneplis conſuetudine diuertebat, Maomethi plurimum fa-
uens, nactusq́; iuuenis facilitatem atq́; promptitudinem, in diuerſa haud
difficulter deduxit. Interea herus moritur ſine liberis: uxor uidua dum ui-
rum quæreret, & eſſet quinquagenaria, domiq́; haberet ualidum annis
iuuenem, domeſticis nuptiis uſa traditur, Sergio (uti ego exiſtimo) per-
ſuadente: iuuenis Magicæ uanitatis nõ expers, potens pollensq́; carmine,
intra paucos dies muliebri menti mirum de ſe ſtudiũ immiſcuit, adeò ut il-
la nimio ardore deperiret. Corripiebatũ Maometh comitiali morbo, quod
ubi uxor animaduertit, ægreferẽs rogauit, quidnam rei eſſet: tum ille mo-
nitis Sergii, deſine mirari, inquit, morbus abeſt, ſed conſpectum cœleſtis
nuntii ad me dei iuſſu uenientis: ferre cum nequeã, mens & membra ob-
ſtipeſcunt: idemq́; contingere omnibus Prophetis narrabat, ſe quoq́; pro-
phetam eſſe dictitans. Vana ſpe eluſa fœmina, fidem præſtitit, & quẽ mo-
do amabat, obſeruare ſimul & colere cœpit: in ea perſuaſione cum diem
obiſſet, hæredem uirum toto (ut aiũt) axe ſcripſit: iis opibus fretus, pa-
lam de ſe loquebatur: multi adſentiebantur, præſertim fœminæ, inter
quas antea gloriabunda uxor, nomen laudesq́; mariti & cœleſtium con-
greſſus diſſeminauerat: ſiqui uero repugnarent: cogebantur armis: bre-
uiq́; ſermone & metu exercitum ſatis amplum coëgit. Negligentia Cæſ.
Auguſti animos præbuit, qui exiguis copiis, primos illos conatus effrin-
gere potuit, neglectus ignis paulatim augeſcens, cum fomes ſuppetit,
abſumit omnia, deſidiaq́; noſtrorum, pernitioſa tabes creuit, cui fo-
mentum medicæ manus adhibere nequeunt. Arabes primi defecere,
proximæ deinde regiones, ipſaq́; inuadit Syria, in qua ferax Dama-
ſcus ui expugnata, uiuentis Phylarchi, & templũ & diuinos honores prin-
ceps inſpexit. Pugnaſſe poſtea fertur cum Perſis, & partem copiarum a-
miſiſſe, rediiſſeq́; ad ad ſuos Arabes, copiasq́; ſuppleuiſſe Scenitis, manu
tum bello ualidiſſima & rebus geſtis clara, quæ indignata ob negata ſti-
pendia fraude quæſtorum, & Romani ducis tenacitate, Maomethi hæ-
ſit & tũc defeciſſe prouincias quidã ſcribunt. Scriptor haud ignobilis, qui
paulo poſt illa tempora fuit, tradit Maometh cum plerisq́; adſeclarũ co-
hortibus

hortibus Syriam intraſſe, & per legatos petijſſe ab Heraclio regiones ad incolendum, atq; impetraſſe, & ingentem illum numerum, cum alimenta deeſſent, direptionibus agrorum, uillarumq; & urbium quæſiuiſſe: adijciunt poſt rapinas reuerſum eum ad antiquas ſedes, aperuiſſeq; leges, & fuiſſe legiſlatorem: tandem natum an. XL. ueneno interiſſe, quod ad fines dominorum, ad quos hæreditas ſpectabat, parauiſſe ferunt, & clam cibis immiſcuiſſe. Eo ſublato Iſmahelitica gens, quod ab duce didicerat, ferre palàm deterrita non eſt. Tota ferè quæ antea cœperat ceſſit Aphrica, ſed oræ Mediterranei maris longe ſerius. Demum deſidia Romanorũ principum, eò ſuperſtitio creuit, ut magnitudine eius atq; armis perterritus oriens, & bona pars Europæ, non ſine clade, & noſtra ignominia, deſciuerit. Heraclius ex Fabia Eudocia uxore ſuſcepit Epiphaniam & Heraclium, qui Cõſtantinus nouus adpellatus eſt, quem ab ineunte ætate ſacro diademate adornauit pater. Defunctæ Fabiæ funus cum efferretur, puella forte quadam ſpuit per feneſtram, contigitq; tetigiſſe elatum cadauer, nulla facta mora comprehenſa & rogo Fabiæ poſita, uiua exuſta. Duxit poſtea Martinam filiam fratris, lata lege, ut idem omnibus liceret, ex qua genuit Heraclonam. Succeſſit primum patri Conſtantinus nouus, qui regnũ à patre adcepit, non malum fidei dogma; nondum annum imperans, à nouerca ueneno ſublatus eſt. Adripuit imperium Martina cum Heraclona, qui natus erat an. X. & ij conſpiratione ſenatus ante biennium capti, & in exilium Capadociã miſſi, mulieri linguam præcidũt, ne oratione, qua plurimũ ualebat, populos commoueret, puero abſciderunt naſum ne decor aut gratia in uultu miſerationem facerent. Senatus tunc ſine militibus principẽ fecit, quod raro contigit, & ante & poſt Tacitum Aug. electus eſt Conſtans Conſtantini F. genitus ex Gregoria filia Nicetæ Patricij, & is filius Gregoriæ, qui multum dilectus ab Heraclio fuerat, magniſq; honoribus functus. Conſtans uero dum fruſtra in Longobardos impetum facit, in ſuos conuertit iram: laminas argenteas, quibus Panteon tegebatur, & alia quædã precioſa, reliquias hoſtiliũ prædarum atq; incendiorũ ſubſtulit, & ſecum in Siciliã tulit. Dumq; ibi in balneis ſe lauat, à miniſtris, autore Mazeſe, interfectus eſt. Qui dum pace Conſtantinopoli fruitur, mortem obijt, regnumq; per manus filio Iuſtino tradidit. In hoc defecit Heraclij progenies, decimo Imperij anno, deiectus ſolio à Leontio Patricio, exul in Ponto, adflictus calamitate occubuit, abſciſſis naribus: ſoli Heraclio inter omnes principes Rom. quantũ rerum geſtarum monimenta docent, ſtirpis ſuæ apud inferos ſextum legere Auguſtum, Lacheſis ſuo inextricabili uolumine concedit. Præfuerũt omnes an. LXXXVII.

Finis.

BASILEAE EXCVDEBAT HENRICVS PE-
TRVS MENSE AVGVSTO ANNO
D. M. XXXIII.

01547



J500
R652b